zu den

öffentlichen Schulprüfungen

im

Herzoglichen Francisceum

zu

Zerbst

am 3. und 4. April 1865.

Inhalt:

1) *Emendationum Dionysiacarum specimen III.*
2) *Jahresbericht. Beides vom Schulrath Dr. Sintenis.*

Zerbst 1865.


Gedruckt bei Römer & Sitzenstock.

EMENDATIONUM DIONYSIACARUM

SPECIMEN III

SCRIPSIT

CAROLUS SINTENIS



Quibus duabus commentationibus nostris de Dionysi Halicarnassensis antiquitatibus romanis bene mereri studuimus, in eis id egimus, ut quae temporum iniuria corrupta et vitiata iacerent ad pristinam integritatem revocaremus suaque Dionysio restitueremus. qua in re sic versati sumus, non tam ut quae a codicibus antiquissimis tradita sua se ipsa fide et praestantia satis commendarent celebraremus, sed ut ipsi coniectandi periculum subiremus nostroque iudicio usi, quantum quidem in nobis esset, suppetias ferremus scriptori ultra quam par est neglecto. quod quidem sic demum recte institui nemo ignorat, ut omnis emendandi conatus ab explorata et perspecta librorum manuscriptorum indole et fide proficiscatur. Dionysi quidem cum duo exstent codices antiquitate et bonitate ceteris praestantes, alter Urbinas, Chisianus alter, ubi consentiunt omnis dubitatio exclusa est, ubi in diversa abeunt, haud raro haereas utri plus fidei tribuendum sit. ego quidem meam de utroque libro sententiam cum in specimine emendationum primo significavi tum paucis attigi in specimine altero. interim ad eamdem quaestionem accessit amicus meus Hermannus Sauppius in censura editionis Kiesslingianae bonae frugis plena inserta nuntiis Gottingensibus a. MDCCCLXI fascic. 47, in qua id egit, ut Chisiani auctoritatem commendaret prae Urbinatis fide multiplice scilicet interpolationum genere contaminati. fateor multa inesse in illa Sauppi nostri argumentatione quae mihi verissime disputata esse videantur: de aliis dissentio nec dissimulatum volo, quemadmodum Kiesslingius nimius videri possit Urbinatis admirator esse, ita Sauppium nimium esse in eodem obtrectando praedicandoque Chisiano, praesertim cum Chisiani lectiones non omnes, sed eas tantum cognitas haberet, quae spectant ad tres libros priores, quos continet volumen primum editionis Kiesslingianae, ut mihi quidem, uti nunc res est, cum suas uterque codex virtutes, sua vitia habeat, nihil magis videatur opus esse quam subtili iudicio quod idoneo scriptoris usu adiutum singulas lectiones in disceptationem vocet perpensisque rationibus omnibus id constituat quod Dionysium scripsisse probabile sit. hoc quidem certum est, neutro nos libro carere posse, neutri unice confidere. ego quidem in eis quas infra posui observationibus sedulo cavendum duxi, ne nimia aut Chisiani aut Urbinatis admiratione motus proponerem quae non suis quae-

que rationibns iisque, ut mihi videbatur, idoneis commendarentur. laetabor autem si qui bene de Dionysio mereri incepit Kiesslingius opera nostra non nihil se adiutum esse intellexerit, quocirca in eorum potissimum librorum finibus me continui, quos proxime in lucem prodituros esse speramus.

Defectionem bonis veterum scriptorum dici *ἀπόστασιν* neque ignotum est et pridem observatum ab A. Lobeckio ad Phryn. p. 528: quo sensu cum et *ἀποστασία* crebro apud recentiores occurrat, sequi, ut, si lectio ambigua sit, res in suspenso relinquatur. nihil igitur decernit de usu Dionysi, quem ego non magis quam Plutarchum in eo vocabulo a probatissimorum usu scriptorum recessisse mihi persuasi. Dionysius quidem cum alibi constanter legitima forma usus sit, ter ad alteram formam deflexisse putatur, libr. 4, 64 *ἕτοιμοι πρὸς ἀποστασίαν ἦσαν*, 7, 13 *ἀναμνήσει τῆς ἀποστασίας*, 7, 1 *ἐκ τῆς ἀποστασίας λαβοῦσα τὴν ἀρχήν*: sed cum diligentius explorato libro Urbinate hodie constet, in eo quem primum posui loco codicem non *ἀποστασίαν* praebere, sed *ἀπόστασιν*, in altero exhibere *ἀποστάσεως*, unus relinquitur locus postremus, in quo cum statim post sequatur altera forma *ἀποστάσει*, prorsus incredibile est inepto nescio quo variandi studio hoc uno loco sibi indulsisse Dionysium quod refugerit ceteris omnibus. neque enim adsentior Adamantio Corai ad Plut. 6, 451 cui '*τοῦτο μάλιστα τὸ ποικίλον τε καὶ ἀνώμαλον παρακμαζούσης φωνῆς σαφής ἐστιν ἔλεγχος*', qui cognitum habeam quam propensus fuerit Coraes ad tutanda vel nomina vel formas nominum praefloratae graecitatis etiam in eis scriptoribus, in quos non cadat eiusmodi incuria. ni mirum vir eximius amplectebatur et fovebat talia in quibus vel apud probatos scriptores novitiae graecitatis quasi quaedam initia sibi deprehendisse videbatur. hinc non miror quod apud Plutarchum Galb. 1 *τὴν ἀπὸ Νέρωνος ἀποστασίαν προδοσίαν γενομένην*: '*οὐ καλῶς*' inquit '*ἐτόλμησαν οἱ πρότεροι τρέψαι τοὔνομα εἰς τὸ ἀπόστασιν*'. sed qui in eadem vita c. 2 scripta legerit *ἐν ταῖς ἀποστάσεσι καὶ προδοσίαις* et c. 4 *ἀποστάσεως*, c. 22 *τὴν ἀναρχίαν ὡς ἀπόστασιν* eademque forma Plutarchum usum esse reputaverit locis ceteris, qui sunt ultra triginta, mirabor si scriptori potius quam librariis, praesertim in tanta errandi proclivitate, formam soloecam tribuere maluerit. nec dubito quin quo solo et uno loco scriptoris probatae graecitatis vox *ἀποστασία* legitur, qui est in libello de virtutibus mulier. inter Plutarchea 253ᵉ *ἐπολέμουν γὰρ αὐτοῖς διὰ τὴν ἀποστασίαν* corrigi debeat *ἀπόστασιν*.

Eiusdem libri septimi c. 1 extr. leguntur haec: *ἔοικεν ὁ πρῶτος ἐν ταῖς χρονογραφίαις τοῦτο καταχωρίσας, ᾧ πάντες ἠκολούθησαν οἱ λοιποί, τοσοῦτον μόνον ἐν ταῖς ἀρχαίαις εὑρὼν ἀναγραφαῖς, ὅτι πρέσβεις ἀπεστάλησαν ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων εἰς Σικελίαν σῖτον ὠνησόμενοι, καὶ παρῆσαν ἐκεῖθεν ἄγοντες ἣν ὁ τύραννος ἔδωκε δωρεάν, οὐκέτι μὴν παρὰ τῶν Ἑλληνικῶν ἐξετάσαι συγγραφέων ὅστις ἦν τύραννος τότε Σικελίας, ἀβασανίστως δέ πως καὶ κατὰ τὸ προστυχὸν θεῖναι τὸν Διονύσιον*: in his

quod Reiskius de suo dedit *οὐκέτι μηδέν* pro *οὐκέτι μήν* librorum probabilitatem habet nullam. certum est *μὴν* esse Dionysi. itaque vitium loci, quod structura, quae nulla est, satis arguitur alia ratione corrigendum iudico. qua vix reperias leniorem quam ut *εὑρών* mutetur in *εὑρεῖν*. constat nullum viti genus frequentius esse, quam quod cernitur in confusis vocabulorum terminationibus quibusdam. *ων* quidem terminatio in *ειν* corrigenda 9, 33 *Οὐεργίνιος — οὐ μόνον ἀναίτιον αὐτὸν ἀπέφαινεν, ἀλλὰ καὶ ὡς κράτιστον ἀνδρῶν τὰ πολέμια καὶ στρατηγῶν φρονιμώτατον*: dicta haec sunt de Ser. Servilio, qui ut non erat dictus *κράτιστος ἀνὴρ* sed *κράτιστος ἀνὴρ τὰ πολέμια*, non potuit dici *στρατηγῶν φρονιμώτατος*, sed debuit dici *στρατηγεῖν φρονιμώτατος*, quippe accusatus erat *ἀπειρίας στρατηγεῖν*, vid. c. 28, cuius contrarium est *ἱκανὸν εἶναι πολέμους στρατηγεῖν* ut est 4, 45: sic enim ibi libri cum Reiskio pro *πολέμου*, item 3, 22 *ἐστρατηγηκὼς τὸν πόλεμον* recte libri optimi pro *τοῦ πολέμου*: hinc 3, 37 *νομίσαντες δι᾽ ἀνανδρίαν οὐχ ἱκανὸν εἶναι πολέμου στρατηγεῖν* corrigendum *πολέμους στρατηγεῖν*. addimus alia quaedam vitiorum exempla ex eodem illo fonte repetendorum. *όμενοι* et *όμεθα* terminationum confusio monstratur loco libr. 3, 29 *ἵνα δὲ μηδὲν βουλεύσητε καθ᾽ ἡμῶν ἄδικον, μήτε δὴ βιασθέντες ὑπὸ τῶν ἡγουμένων τῆς πόλεως μήτε παρακρουσθέντες, μία φυλακὴ καὶ πρόνοιά ἐστιν, εἰ τῆς αὐτῆς πόλεως πολῖται γενόμενοι ἅπαντες καὶ μίαν ἡγοίμεθα πατρίδα*: pro *γενόμενοι* codex uterque *γενοίμεθα*, verissime, sed quod in transcursu dicendum est, integer locus sic demum erit, si post *βουλεύσητε* suppleveris *ἔτι*, si quidem certissimum est sententiam requiri hanc 'ne in posterum quicquam iniusti contra nos moliamini'. eodemque modo consultum volo loco libr. 8, 9 *οἱ δὲ Οὐολοῦσκοι λέγοντός τε τοῦ ἀνδρὸς ἔτι δῆλοι ἦσαν ἀγάμενοι τοὺς λόγους, καὶ ἐπειδὴ ἐπαύσατο μεγάλῃ βοῇ πάντες ἐπεσήμηναν ὡς τὰ κράτιστα ὑποτιθεμένου, λόγον τε οὐδενὶ προθέντες ἐπικυροῦσι τὴν γνώμην*: dixerat Dionysius c. 8 magistratus Volscorum *προθεῖναι σκοπεῖν ὑπὲρ τοῦ τίνα χρὴ πολεμεῖν τρόπον* Tullique suasu Marcum ad sententiam dicendam vocatum esse. cuius cum ingenti clamore accepta esset oratio consentaneum erat dici quod dicentem Dionysium facit interpres latinus 'nulli amplius facta dicendi copia Marci sententiam ratam esse factam, idque dicentem habebis hac adhibita correctione *λόγον οὐδενὶ προθέντες ἔτι κυροῦσι τὴν γνώμην*: simplex *κυροῦν* sic est c. 11. 88. 91 all. sed haec in transcursu. illarum de quibus dicere institui terminationum confusio corrupit locum 7, 32, ubi quod libri habent *ἀναγκαζόμενοι δ᾽ αὐτὰ παραφέρειν* non tam scribendo *παραφέρομεν* cum Reiskio quam corrigendo *ἀναγκαζόμεθα* cum structurae legibus conciliandum est. eamdem rationem secutus iam olim 3, 10 *ἄρχειν ἄξιοί ἐσμεν Ἰταλίας ὅτι ἔθνος Ἑλληνικὸν καὶ μέγιστον τῶν κατοικούντων τήνδε τὴν γῆν ἐθνῶν παρέχομεν*, cum codex uterque praebeat *παρεχόμενοι* corrigendum esse *παρεχόμεθα* ipso probavi scriptoris usu, quem quidem quod Kiesslingius ibidem c. 11 *τοὺς αὐτοὺς γὰρ εὐχόμεθα προγόνους* restituendum putabat scribendo

τοὺς αὐτοὺς γὰρ παρεχόμεϑα προγόνους, non magis adsentior quam quod 1, 4 ubi de Roma urbe haec dicuntur: *ὡς ἀνεστίους μέν τινας καὶ πλάνητας καὶ βαρβάρους καὶ οὐδὲ τούτους ἐλευϑέρους οἰκιστὰς ἐχομένης*, suo Marte reposuit *παρεχομένης*, nulla omnino veri specie. miro casu accidit ut utrumque locum, quo de eadem re agitur, eadem perverterit corruptela: nam hic quoque Chisianus *εὐχομένης*. hinc scribendum *εὑρομένης*. et hoc quidem occupatum video a Sauppio nostro, cui si in promptu fuisset locus alter non dubito quin mecum fuisset facturus restituendo ei quod Dionysius scripserat *εὑρόμεϑα*. usum verbi monstrat 2, 62. idem vitium in his Sophocleis *νῦν δὲ τοῦτ᾽ εὔχεσϑέ μοι οὗ καιρὸς ἀεὶ ζῆν* Oedip. tyr. 1511 felici coniectura nuper sustulit A. Meinekius analect. Soph. p. 247.

Quam supra restituimus *εῖν* pro *ῶν* terminationem, eadem revocanda sanandus est locus libr. 2, 71 quo Numa refertur multa alia scuta illi coelitus demisso similia fabricasse opera usus Mamuri cuiusdam, qui opus illud susceperit: *Νομᾶν — ὅπλα λέγουσι πολλὰ κατασκευάσασϑαι τῷ διοπετεῖ παραπλήσια, Μαμορίου τινὸς τὸ ἔργον δημιουργοῦ ἀναδεξαμένου*: 'haec' inquit Portus 'puto transposita et in suas sedes ita restituenda *τινὸς δημιουργοῦ τὸ ἔργον ἀναδεξαμένου*'. recepit id non monito lectore Kiesslingius. at enim lubricum hoc emendandi genus quod fit traiectione verborum nec facile nisi ubi certis rationibus commendatur admittendum. hic quidem lenissima correctione suum Dionysio restituas scribendo *Μαμορίου τινὸς τὸ ἔργον δημιουργεῖν ἀναδεξαμένου*. eadem ratio adhibenda loco libr. 12, 13 *ταῦτα ὁ Ῥωμαῖος μαϑὼν πολὺς ἐν τῷ σκοπῷ καϑ᾽ ἑαυτὸν γενόμενος*: mirificum istud *σκοπῷ* I. G. Schneidero in lex. dictum videbatur pro *σκοπήσει*, suspectae fidei vocabulo. sed quod hic dicendum erat, multum deliberare et perpendere secum, graece dicitur *πολὺν εἶναι ἐν τῷ σκοπεῖν καϑ᾽ ἑαυτόν*. denique frequentissimum constat vitium esse quo *ῃς* et *οις* in fine vocabulorum permutantur, cuius rei observatio proderit ad emendanda Dionysi verba libr. 9, 8 quibus frustra aliam rationem adhibuit Reiskius. narrantur consules Romani quo seditionem e castris penitus tollerent permisisse, ut hostes militibus suis cum verbis contumeliosis insultarent tum factis multam contemtionem et despectum testantibus fortitudinis necessitatem inponerent eis qui nollent sponte rem fortiter gerere: *ἵνα δὴ ταῦτα γένοιτο ἀμφότερα ἐφῆκαν τοῖς πολεμίοις λόγῳ τ᾽ αἰσχύνειν κακίζοντας σφῶν ὡς ἄνανδρον τὴν ἡσυχίαν, καὶ ἔργοις ὑπεροψίας τε καὶ καταφρονήσεως πολλῆς γενομένης ἀναγκάζειν ἀγαϑοὺς γενέσϑαι τοὺς ἑκουσίως εἶναι μὴ βουλομένους*: haec a structura laborant, nec constat sententia. quod qui intellexit Reiskius *γέμουσιν* scripsit pro *γενομένης*. sed ne dicam vix satis commodum esse *γέμειν* h. l., minori molimine quod hic dici debuit lucramur scribendo *ἔργοις ὑπεροψίας τε καὶ καταφρονήσεως πολλῆς γενομένοις*. docta de hoc genetivo exstat disputatio A. Lobeckii ad Phryn. p. 215.

Repeto librum septimum, cuius c. 5. Aristodemus dicitur Cumae cum apud optimates

esset res publica plebis patronus esse factus tanta cum optimatium invidia, ut cupide opportunitate uterentur specie honesta illum amovendi *δεδιότες μή τι κακὸν ἐργάσηται περὶ τὴν πολιτείαν.* fateor haec intellegi posse, commode dicta esse nego. neque enim commodum est in eiusmodi caussa dici 'veriti ne aliquam calamitatem reipublicae afferret', sed, ne id urgeam, Dionysium dicturum fuisse *μή τι κακὸν ἐργάσηται τὴν πολιτείαν*, quod unum ac solum poterant vereri, ne res novas molitus imperium ad plebem transferret, id vero videtur hoc loco dicendum fuisse eo modo, quo solet, hoc est *μή τι καινὸν ἐργάσηται* ducitque eo quod mox sequitur de rerum novarum cupidis, quos una cum Aristodemo removere constituerint, *ἐπιλέξαντες τοὺς ἀπορωτάτους — τῶν δημοτικῶν ἐξ ὧν ἀεί τινας ὑπώπτευον νεωτερισμούς,* estque eadem correctio fortasse adhibenda verbis libr. 10, 1 quae sic vulgo scripta *τῶν δ' ἐντὸς τείχους κακῶν πρόνοιαν ἐποιοῦντο μή τι κακὸν ὁ δῆμος ἐπὶ τῇ βουλῇ συστὰς ἐξεργάσηται* apertissimum est non magis ferri posse quam quae libr. 9, 26 nunc habentur *τὸ κουφότερον αἱρούμενοι τῶν κακῶν ἔγνωσαν ὁμόσε χωρεῖν τοῖς ἐκ τῶν πολεμίων κακοῖς*: recte Urbinas *δεινοῖς*, probaremque item quod altero loco pro *κακὸν* idem codex praebet *δεινόν* nisi haud paulo probabilius putarem substituendum esse *καινόν*, quoniam *καινὰ* illa *πολιτεύματα* significantur de quibus sequitur c. 3 et 18. ceterum talis synonymorum permutatio, qualem monstrat vocabulorum *κακόν* et *δεινόν* confusio identidem in his libris commissa est. ita 4, 5 VCh *δεινὸν* pro *κακόν*, 4, 73 iidem *χαλεπὰ* pro *δεινά*, 6, 25 *συμφοραῖς* Urb. pro *δεινοῖς*, 10, 53 idem *συμφοραῖς* pro *νόσοις* et 10, 47 *ἐπὶ καλοῖς* pro *ἐπ' ἀγαθοῖς*.

Quod in superioribus commentationibus exemplis aliquot ostendi, textum quem vocant Dionysi passim lacunis adfectum esse et mancum, quoniam qui proxime tractandus est locus libr. 7, 7 in eum numerum referendus est iam pluribus testimoniis confirmare lubet, ex quibus colligi posse existimo, quoniam qui nunc exstant codices omnes in hac caussa nos destituant, esse hoc viti genus ex codice archetypo, a quo ceteri propagati sunt, derivandum, sive male habito illo sive, quod magis credo, a scriba non satis diligente exarato. id enim singularis quarundam lacunarum ratio potius suadere videtur. quarum duplex genus est, alterum continetur singularum vocum omissione, alterum integrae sententiae iactura adfecit orationem. dicam prius de illo altero genere, hoc unum praefatus, ad eiusmodi damna sarcienda qui accedat, si modesto et sobrio iudicio uti voluerit, satis habiturum demonstrasse, deesse aliquid ad integritatem sententiae, quam licet interdum cum aliqua probabilitate restituere possit, raro tamen singula verba praestare sustineat. illo igitur loco quem supra significavi haec scripta exstant: *φυγὴ δὲ μετὰ τοῦτο τῶν κατ' ἀγορὰν καὶ δρόμος*: prorsus abhorret haec ratio ab usu Dionysi, quem verbum quale *ἐγένετο* addidisse consentaneum est. similiter 6, 10 *ὡς δὲ πολὺ τὸ παράλογον ἀμφοτέροις τῆς δόξης* consuetudo eius addi iubet tale quid quale *συνέβη* s. *ἀπέβη* vel *ἀπήντα*. 9, 68 autem *τὰ μὲν ἐπὶ λόφοις κείμενα καὶ πέτραις*

ἀποτόμοις ὑπ' αὐτῆς ὠχυρωμένα τῆς φύσεως καὶ ὀλίγης δεόμενα φυλακῆς non constat oratio nisi suppleas *ἐστί*, nec ferendum censeo eiusdem verbi defectum 11, 22 *ἡγεμὼν δὲ τούτων ἀνὴρ ἐπιφανὴς Γάϊος Κλαύδιος* aut 7, 8 *φυλακαῖς τρισὶ κρατύνεται τὴν τυραννίδα, ὧν ἡ μία μὲν ἐκ τῶν ῥυπαρωτάτων — ἑτέρα δ' ἐκ τῶν ἀνοσιωτάτων — τρίτη δέ*: articulus numerali additus tum demum recte haberet si locus in eam speciem conformatus esset quem monstrat 8, 64 *νείμασθαι τὴν στρατιὰν τριχῇ· τούτων τὴν μὲν μίαν τὸν ὕπατον ἄγοντα — χωρεῖν, τὴν δὲ ἑτέραν Τίτον — τὴν δὲ λοιπὴν τρίτην μερίδα* — aut 6, 36 *δύο πόλεις ἔχομεν, τὴν μὲν μίαν ὑπὸ πενίας ἀρχομένην, τὴν δ' ὑπὸ κόρου*, quo tueor scripturam Arriani Anab. 2, 23, 2 *δύο ἄλλας (ναῦς) ἐπῆγεν, αἳ τὰς γεφύρας αὐτῷ ἔφερον· καὶ τὴν μὲν μίαν τῶν νεῶν — τὴν ἑτέραν δὲ* — quae C. G. Kruegero suspecta fuit. sed apud Dionysium recte Reiskium correxisse puto *ὧν ἦν μία*. idem non potest scripsisse quod hodie fertur 8, 8 *Ῥωμαίους ἡ μὲν ἐξ ἀρχῆς ὑπάρξασα γῆ βραχεῖά ἐστι καὶ λυπρά, ἡ δ' ἐπίκτητος, ἣν τοὺς περιοίκους ἀφελόμενοι, πολλὴ καὶ ἀγαθή*: excidit verbum, quod *ἔχουσι* fuisse conicio ex sequentibus *εἴ τι ἄλλο βίᾳ σφετερισάμενοι τῶν ὑμετέρων ἔχουσι*. participium excidit 8, 67 *ὁ δ' ἕτερος τῶν ὑπάτων Τίτος Σίκκιος ὁ πεμφθεὶς ἐπὶ Οὐολούσκους ὅσον ἦν κράτιστον τῆς δυνάμεως μέρος εἰς τὴν Οὐελιτρανῶν χώραν εἰσέβαλλεν* (scr. *εἰσέβαλεν*): res manifesta est. bis, ni fallor, in hoc genere deliquerunt librarii 9, 60 qui locus totus male est habitus. narrantur Aequi conditiones pacis cum populo Romano recens factas violare ausos esse receptis Antiatibus qui Latinorum agros latrociniis infestarint. his de rebus Latinis apud senatum querentibus et postulantibus, ut aut exercitum mitterent aut sibi ipsis permitterent eos ulcisci, a quibus bello essent lacessiti *οἱ σύνεδροι στρατιὰν μὲν οὔτ' αὐτοὶ ἐψηφίσαντο πέμπειν οὔτε Λατίνοις ἐπέτρεψαν ἐξάγειν, πρεσβευτὰς δ' ἑλόμενοι τρεῖς, ὧν ἡγεῖτο Κόϊντος Φάβιος — ἐντολὰς αὐτοῖς δόντες πυνθάνεσθαι* —: excidit verbum, quod ex usu Dionysi *ἀπέστειλαν* fuisse conicio. mandatum autem legatis est *τά τε ἡρπασμένα ἀπαιτεῖν καὶ τοὺς ἐργασαμένους τὰ ἀδικήματα ἐκδότους αἰτεῖν*: recte Reiskius: '*ἐκδότους αἰτεῖν* qui potest? prius postulantur, tum traduntur, non traditi iam postulantur. sine dubio leg. *ἐκδότους παραλαβεῖν*'. vitium peperit vicinum *ἀπαιτεῖν*, de quo genere infra dicam, sed ut non tam *παραλαβεῖν* quam *ἄγειν* corrigendum existimem. mox verba *ἐν τῷ πεδίῳ* omni intellectu destituta esse in confesso est. scribendum esse *ἐν τῇ πενίᾳ* satis videor demonstrasse spec. 1, p. 28. addere debebam correctionem proximi viti: *ἐφ' οἷς ὁ Φάβιος ἀγανακτῶν καὶ τὰς ψευσθείσας πρὸς αὐτὸν ὁμολογίας ἀνακαλούμενος*: non ita scripserat Dionysius, sed quod recta ratio requirit *πρὸς αὐτῶν*. secuntur haec: (*Φάβιος*) *ὑπέμεινέ τε, κατοπτεῦσαι τὰ ἐν τῇ πόλει πράγματα βουλόμενος, καὶ διεξιὼν πάντα τόπον προφάσει θεωρίας δημοσίων τε καὶ ἱερῶν τά τ' ἐργαστήρια τῶν πολεμικῶν ὅπλων, τῶν μὲν ἤδη συντετελεσμένων, τῶν δ' ἔτι ἐν χερσὶν ὄντων, ἔγνω τὴν διάνοιαν αὐτῶν*: haec quoties lego toties offendor nec possum mihi persua-

dere sic scripta esse a Dionysio. primum corrigendum puto *δημόσιόν τε καὶ ἱερόν*, ut omnia loca et publica et sacra adiisse dicatur quem ad modum Herodianus 2, 11, 7 *ἐκ δημοσίων καὶ ἱερῶν τόπων λαμβάνειν* dixit. tum dicendum erat quid animadvertisset, ex iis ut mentem eorum cognovisse recte dici posset. ineptissime enim coniungi *ἐργαστήρια ὅπλων ἤδη συντετελεσμένων* et *ὅπλων ἔτι ἐν χερσὶν ὄντων* non eget demonstratione. iam cum in Urbinate ac Chisiano pro *ἐργαστήρια τῶν πολεμικῶν ὅπλων* scriptum exstet *ἐργαστήρια ἅπαντα πολ. ὅπλων* nec credibile sit de nihilo ortum esse istud *τῶν* quod pro *ἅπαντα* habet vulgata, in ipso illo *τῶν* vestigium eius suspicor relictum esse quod rei natura dici iubebat. est id, opinor, hoc: *διεξιὼν πάντα τόπον κατὰ πρόφασιν θεωρίας δημόσιόν τε καὶ ἱερόν, τά τε ἐργαστήρια πλήρη ὁρῶν ἅπαντα πολεμικῶν ὅπλων, τῶν μὲν* —. verbi vitiose decurtati alterum exemplum reperitur 8, 24 in Minuci ad Marcium oratione: *τελευτῶντες ἧκον ἐφ' ἡμᾶς αἰτιώμενοί σε τυραννίδα· ἐπὶ ταύτην αὐτὸς ὑπέμεινας ἀπολογήσασθαι τὴν αἰτίαν*: sic vulgo, soloece. intellexit hoc Reiskius, cumque in Urb. quocum facit Chis. scriptum esset *τυραννίδι*, intellegens quid locus requireret audacissime refinxit in hunc modum *αἰτιώμενοί σε τυραννίδι ἐπιτίθεσθαι. πρὸς ταύτην αὐτὸς ὑπέμεινας ἀπολογήσασθαι τὴν αἰτίαν*. sed hoc nimium est. scripserat Dionysius *αἰτιώμενοί σε τυραννίδι ἐπιχειρεῖν· ταύτην αὐτὸς* — quod certo colligitur ex verbis quae huc referuntur infra c. 32 scriptis: *ἢ προδιδόναι τοῖς πολεμίοις τὴν πόλιν ἢ τυραννίδι, ὥσπερ καὶ Δέκιος ᾐτιάσατο, ἐπιχειρεῖν*. hic igitur cum praestare posse videar quid scripserit Dionysius, non possum libr. 1, 82 ubi de Numitore cum Romulo colloquente haec scripta sunt: *φράζει τὰς αὐτοῦ τύχας, ὡς Ἀμούλιος αὐτὸν ἀδελφὸς ὢν ἀπεστέρησε τῆς βασιλείας, ὀρφανὸν δὲ τέκνων ἔθηκε, τὸν μὲν ἐπὶ θήρᾳ κρύφα διαχειρισάμενος, τὴν δὲ εἱρκτῇ δεδεμένην φυλάττων, τά τε ἄλλα ὁπόσα δεσπότης χρώμενος δούλῳ*: haec ego sine viti suspitione transmissa ab editoribus fateor me expedire non posse: pendet enim nominativus iste participii *χρώμενος* nec habet quo referatur, ut verbum excidisse statuendum sit, quo in talem aliquam speciem structura absolveretur *τά τε ἄλλα ὁπόσα δεσπότης χρώμενος δούλῳ διατελεῖ*. in eodem libro c. 40 (*Ἡρακλῆς*) *τοὺς βασιλεῖς χώρᾳ πολλῇ δωρεῖται Λιγύων τε καὶ τῶν ἄλλων προσοίκων, ἧς μέγα ἐποιοῦντο ἄρχειν, παρανόμους τινὰς ἐξ αὐτῆς ἐκβαλὼν ἀνθρώπους* advertit me liber Chisianus, in quo vocabulum postremum omissum est. aut fallor aut minime temere id factum esse putandum est. meo quidem sensu istud *ἀνθρώπους* cum illo suo *τινὰς* ridiculi quid habet, ne dicam absonum esse. recta et rei ipsi consentanea ratio hoc mihi videtur requirere, ut Hercules dicatur reges Aboriginum agro donasse improbis quibusdam regulis adempto, hoc est *ἐκβαλὼν παρανόμους τινὰς ἄρχοντας* s. *δυναστὰς* s. *τυράννους*, quod postquam excidit suppletum est vocabulo temere arrepto a quo sibi cavit Chisianus. sed quoniam in librum primum incidimus locum addimus c. 14 ut ab hac disputatione haud alienum. ibi de oraculo

Tiorensi haec scripta sunt: *ἐν ταύτῃ δὲ λέγεται χρηστήριον Ἄρεως γενέσθαι πάνυ ἀρχαῖον· ὁ δὲ τρόπος αὐτοῦ παραπλήσιος ἦν, ὥς φασι, τῷ παρὰ Δωδωναίοις μυθολογουμένῳ ποτὲ γενέσθαι, πλὴν ὅσον ἐκεῖ μὲν ἐπὶ δρυὸς ἱερᾶς καθεζομένη περιστερὰ θεσπιῳδεῖν ἐλέγετο, παρὰ δὲ τοῖς Ἀβοριγῖσι θεόπεμπτος ὄρνις, ὃν αὐτοὶ μὲν πῖκον, Ἕλληνες δὲ δρυοκολάπτην καλοῦσιν, ἐπὶ κίονος ξυλινοῦ φαινόμενος τὸ αὐτὸ ἔδρα*: vocabulum *περιστερὰ* a codicibus omissum supplevit H. Stephanus recepitque post alios Kiesslingius, sed ut in adnotatione critica scriberet: 'nunc autem dubito an recepta Urbinatis scriptura (*ὑπὸ* pro *ἐπὶ*) *ὑπὸ δρυὸς ἱέρεια* aptius sit, idemque mihi significavit Meinekius'. miror hoc duumvirorum doctissimorum iudicium nec capio sublata palumbe quo pacto utriusque oraculi comparatio constare possit, si quidem quae inter illa oracula intercessisse similitudo dicitur in eo posita est, quod utroque loco oracula reddere solebat a v i s, Dodonae palumbes, Tiorae picus, illa quercui insidens, picus columnae. sacerdoti igitur hic locum esse nego, sed ut non feliciter Stephanum *περιστερά* supplevisse existimem. nusquam enim a quoquam eorum scriptorum, qui de singulari hoc instituto Dodonaeo mentionem iniecerunt, palumbes illae fatidicae *περιστεραί* vocantur praeterquam a scholiasta Sophoclis in Trach. 171 cuius nulla in hac caussa auctoritas est, sed *πέλειαι* vel *πελειάδες* dicuntur ab Herodoto, Sophocle, Pausania, Philostrato. nempe cadit res in palumbem silvestrem, non in columbam domesticam. de hoc utriusque nominis discrimine Aristoteles h. a. 5, 11, 2: *ἔστι γὰρ ἕτερον πελειὰς καὶ περιστερά· ἐλάττων μὲν οὖν ἡ πελειάς, τιθασὸν δὲ γίνεται μᾶλλον ἡ περιστερά. ἡ δὲ πελειὰς καὶ μέλαν καὶ μικρὸν καὶ ἐρυθρόπουν καὶ τραχύπουν· διὸ καὶ οὐδεὶς τρέφει.* hinc factum, quod ipsae vates Dodonaeae dictae sunt *πέλειαι*. Hesychius: *πέλειαι· περιστεραί. καὶ αἱ ἐν Δωδώνῃ θεσπίζουσαι μάντεις.* huius igitur vocabuli supplemento lacuna explenda est loci Dionysiaci.

Alterum lacunarum genus accurato et diligenti lectori cum sententia prodit haud integra, tum orationis habitus vacillans. quo in genere quantum usum praebeant pusillae particulae cum alibi ostendimus, tum probaturi sumus his exemplis. libr. 7, 43 Luci tribuni plebis haec verba sunt ad senatum: *ἐμοὶ μὲν γὰρ δοκεῖτε, ὦ βουλή, περὶ μὲν τὰς διαλύσεις γνώμῃ τῇ κρατίστῃ κεχρῆσθαι, οἷς ἀνάγκη εἴχειν τοῦ βέβαια τηρεῖν τὰ συγκείμενα· θεοὺς γὰρ ἡμῖν ἐγγυητὰς ἐδώκατε τῶν ὁμολογιῶν, πολλὰ καὶ δεινὰ ἐπαρασάμενοι τοῖς παραβᾶσι τὰς συνθήκας αὐτοῖς τε καὶ ἐκγόνοις εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον· ἀλλ' ὅτι μὲν δὴ τά τε δίκαια ἀξιοῦμεν καὶ τὰ συμφέροντα ἃ πολλὴ ἀνάγκη ποιεῖν ὑμᾶς* (ita scribendum) *μεμνημένους τῶν ὅρκων ὡς πρὸς εἰδότας ἅπαντας οὐκ' οἶδ' ὅτι δεῖ πλείω λέγοντα ἐνοχλεῖν*: in his *ἐμοὶ μέν* recte ac de more dictum est, nec desideramus quod ei respondeat, sed *περὶ μὲν τὰς διαλύσεις* dici non potuit nisi addito quod ei oppositum esset; porro *οἷς* non habet quo referatur, quod perspiciens Reiskius pro *τοῦ βέβαια* correxit *τού-*

των βέβαια, sed ut ne ipsi quidem ea correctio videatur satisfecisse: ac sane ista ratione nihil proficitur. qui ad sequentia attenderit, in quibus iuris iurandi sanctitas praedicatur, quo τὰς διαλύσεις olim confirmaverint (6, 89) contuleritque proxima c. 44 τὰς γὰρ ὑπὲρ τῆς ὁμονοίας τῇ βουλῇ ἀκινήτους ὁμολογίας καὶ μόνον οὐκ ἀδαμαντίνοις δεσμοῖς ἠσφαλισμένας, ἃς οὔτε ὑμῖν τοῖς ὀμωμοκόσιν οὔτε τοῖς ἐξ ὑμῶν ἐσομένοις καταλύειν θέμις — partem sententiae intercidisse intelleget quae continuerit illam τῶν ὅρκων religionem quibus olim se obstrinxerint: οἷς refertur ad τοὺς ὅρκους quae exciderunt cum aliis quibusdam, quae praestari nequeunt. ceterum ut hoc addam, cum in Urbinate pro ὡς πρὸς εἰδότας exstet ὡς προειδότας corrigendum puto ὥσπερ εἰδότας. porro eundem eadem particula usum praebet libr. 2, 50: οὓς ἐκ παρατάξεώς τε νικήσαντες (ἐχώρησαν γὰρ αὐτοῖς ὁμόσε) καὶ μετὰ ταῦτα ἐκ τειχομαχίας κατὰ κράτος ἑλόντες ὅπλα μὲν ἀφείλοντο καὶ χώρας ἐζημίωσαν τῇ τρίτῃ μερίδι, ἣν λυμαινομένων τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐπεξελθόντες καὶ τροπωσάμενοι αὐτούς, τὰ μὲν αὐτῶν ἅπαντα τοῖς σφετέροις πολίταις διεῖλον, αὐτοὺς δὲ τοὺς ἀνθρώπους — ἐν Ῥώμῃ κατοικεῖν εἴασαν: laudo Kiesslingium quod lacunae signum posuit post μερίδι, de reliqua eius suspitione adsentiri dubito. ego quidem post μερίδι excidisse puto eiusmodi sententiam: ἄλλο δ' οὐδὲν κακὸν ἐποίησαν. ac videndum ne simile quid acciderit 1, 63 περὶ δὲ τῶν χρόνων ἐν οἷς ἐκτίσθη τὸ Λαουίνιον ἄλλοι μὲν ἄλλως λέγουσιν· ἐμοὶ μέντοι δοκοῦσιν οἱ δευτέρῳ μετὰ τὴν ἔξοδον τὴν ἐκ Τροίας ἔτει φέροντες αὐτὴν εἰκότα μᾶλλον λέγειν: haec quoties lego toties male me habent, non quod μέντοι ad ἄλλοι μὲν referri posse negem, sed quod quae scripta leguntur meo sensu non recte cogitata sunt. nam quis recte ita loquatur 'de tempore quo Lavinium conditum sit alii quidem aliter tradunt, mihi vero qui eam secundo post discessum ex Troia annum conditam ferunt videntur verisimiliora tradere'? requirimus vero eum, qui quod sibi magis verisimile videatur afferat, non tacere de altero minus ipsi probato. suspicor igitur integram sententiam id ipsum complexam intercidisse, quam vere videant alii. quod autem in his locis μέν, idem τέ particula praestat 10, 26: οἱ μὲν ἀκμαιότατοι αὐτῶν (τῶν Αἰκανῶν) νυκτὸς ἐλάσαντες ἐπὶ Κορβιῶνα πόλιν, ἣν ἐν τῷ παρελθόντι ἐνιαυτῷ Ῥωμαίοις παρέδοσαν, τήν τε φρουρὰν τὴν ἐν αὐτῇ κοιμωμένην εὑρόντες κατέσφαξαν, πλὴν ὀλίγων, οἳ ἔτυχον ἀφυστεροῦντες, οἱ δὲ λοιποὶ — πόλιν Βιρτῶνα καταλαμβάνονται: frustra quaeras illa τήν τε φρουράν quibus excipiantur. gratulemur vero nobis particulam facem praeferre ad locum illustrandum: ea enim sola advertimur deesse aliquid ad integritatem sententiae, quam talem fere fuisse consentaneum est: τήν τε φρουρὰν τὴν ἐν αὐτῇ κοιμωμένην εὑρόντες κατέσφαξαν, πλὴν ὀλίγων, οἳ ἔτυχον ἀφυστεροῦντες, καὶ τὴν πόλιν κατέσχον αὐτοί, οἱ δὲ λοιποὶ — nam Aequos Corbionem urbem a se captam tum retinuisse necessario dicendum erat propter ea quae infra secuntur c. 30 Αἰκανοὶ — ἠναγκά-

σθησαν εἰς τὰς πόλεις ἀπελθεῖν ἀποβαλόντες τὸ πολίχνιον (Κορβιῶνα) ὑπὲρ οὗ τὸν ἀγῶνα ἐποιοῦντο.

Duos locos notavi quibus *καὶ* particula lacunam arguit. alter est 8, 42: *φείσασθαι παρακαλῶ τῶν ἑαυτοῦ πολιτῶν, ὑφ' ὧν ἐκ τῆς πατρίδος ἐξελήλαται καὶ μηδὲν ἀδικῶν*; in altero 9, 17 haec feruntur: *ταῦτα καὶ πολλὰ τούτοις ὅμοια καὶ δι' ὀργῆς ἀκράτου τῶν πατρικίων ὀνείδη κατασκεδάσας — τὴν δύναμιν ἀπέλυσε*: neutro loco particulam aut explicando possis tueri aut delendo eam cum aliqua probabilitate rem expedire. si usum scriptoris calleo utroque loco paucula excidisse statuendum est. similiter *οὔτε* index lacunae est 9, 1 ubi de Sp. Icilio tribuno plebis haec dicuntur: *συνάγων εἰς ἐκκλησίαν τὸν δῆμον ὁσημέραι τὰς περὶ τῆς κληρουχίας ὑποσχέσεις ἀπῄτει παρὰ τῆς βουλῆς, καὶ οὐδὲν ἔφη συγχωρήσειν ἐπὶ τῶν πολεμίων οὔτε τῶν κατὰ πόλιν ὑπ' αὐτῆς ψηφιζομένων ἐπιτελεσθῆναι*: non tam scribendo *οὐδὲ* pro *οὔτε* locus emendandus, quam corrigendo *οὐδὲν ἔφη συγχωρήσειν οὔτε τῶν ἐπὶ πόλεμον οὔτε τῶν κατὰ πόλιν* — nec potest dubitari, quin simillima sit correctio adhibenda loco libr. 8, 63 ubi de consulibus Romanis in bellum profectis haec sunt: *οὐ μὴν ἔδρασάν γ' οὐδὲν μεῖζον, ἀλλ' ἀνέστρεψαν ἄπρακτοι*: '*μεῖζον*' Reiskius ait 'possit hic accipi pro *μέγα*', quod non credimus viro eximio. occupavit veram rationem Sylburgius *οὐδὲν οὔτε μεῖζον οὔτε ἔλασσον*, nisi quod ad originem viti explicandam fortasse probabilior hic ordo: *οὔτε ἔλασσον οὔτε μεῖζον*. conferantur cum his quae de hoc erroris genere exposui comment. 1, p. 24, ubi quae de sententiis per *εἴτε — εἴτε* particulas Dionysio mirifice adamatas conformatis scripsi faciunt ad emendandum locum libr. 8, 71: *ἕτερος μὲν οὖν ἀποχρῆν ἂν ὑπέλαβε καὶ αὐτὰ τὰ νῦν πραττόμενα ἐπὶ τῇ πόλει μηνύματα οὐ μικρὰ τῶν παλαιῶν ἐπιτηδευμάτων ὑπολαβεῖν* (*ἀπολαβεῖν*?), *ἐγὼ δέ, ἵνα μή τις ἀσθενῆ τὴν πίστιν εἶναι ταύτην ὑπολάβῃ εἴτε κατ' ἐκείνην τὴν ἀπίθανον ὑπόληψιν, ὅτι παντὸς τοῦ Ἑλληνικοῦ κρατήσαντες ἀσμένως ἂν τὰ κρείττω μετέμαθον ἔθη, ἐξ ἐκείνου ποιήσομαι τοῦ χρόνου τὴν τέκμαρσιν* —: parum scite egerunt qui *εἴτε* delendum putarunt: rectius, opinor, iudicabimus scripsisse Dionysium pro sua consuetudine: *εἴτε κατ' ἄλλην εἴτε κατ' ἐκείνην τὴν ἀπίθανον ὑπόληψιν.*

Singillatim et strictim dicere constitui de locis non nullis libri septimi. sunt autem hi. c. 11 *οὐδὲ περὶ ταῖς θύραις πολλὴν — εὗρον φυλακήν*: scribendum puto *παρά*. sed c. 14 *ἐκείνοις μὲν γὰρ εἶναι καὶ τροφὰς ἐν ἀφανεῖ παρακειμένας καὶ χρήματα* requiro *ἀποκειμένας*, quod vocabulum proprium est de rebus conditis et in usum futurum servatis. hinc infra c. 18 *ὑπελάμβανόν τινας εὑρήσειν ἀποκειμένας τροφάς* et 9, 25 *διαρπάζειν ἐπιχειροῦντες ἄτερ ὠνῆς τὰς ἀποκειμένας αὐτοῖς τροφάς*: et sic aliquoties Xenophon. c. 16 dubitationem iniciunt haec verba: *ἔμελλον εἰ μὴ νὺξ ἐπιλαμβάνοι*

τὴν ἔριν εἰς πληγάς τε καὶ λίθων βολὰς χωρήσειν· ἵνα δὴ μὴ τοῦτο γένοιτο προελθὼν ὁ Βροῦτος τοὺς ὑπάτους ἠξίου δοθῆναι λόγον αὐτῷ, παύσειν ὑπισχνούμενος τὴν στάσιν, non quod de tollenda ante νύξ negatione verissime a VCh omissa ambigi possit, est enim perversissima, sed quod structuram verbi ἀξιοῦν non expedio. ipse usus et ratio dicendi postulare videntur τοὺς ὑπάτους ἠξίου δοῦναι λόγον αὐτῷ cl. 4, 11 ἀξιοῦμεν ὑμᾶς μίαν ἡμῖν ταύτην δοῦναι δωρεάν, 8, 47 ἀξιοῦσα προδοῦναί με τοῖς ἐκβαλοῦσι τοὺς ὑποδεξαμένους. negationem quod dixi perversissimam esse intelleget qui cogitaverit quid res ipsa requirat, ni mirum hoc, verendum fuisse, ne res ad ictus et vulnera veniret si nox rixam exciperet, de quo eius verbi usu vid. interpretes Livi ad 1, 53, 4. 2, 61, 1. idem vocabuli graeci usus restituendus Dionysio 1, 41 διατρῖψαι αὐτόθι πλείω χρόνον ἠναγκάσθη τοῦ ναυτικοῦ τῇ ἀπουσίᾳ, ἣ ἐγένετο χειμῶνος ἐπιβαλόντος: scribendum ἐπιλαβόντος. sic Thucydides 4, 27 μὴ χειμὼν τὴν φυλακὴν ἐπιλάβοι ipseque Dionysius 2, 54 νὺξ ἐπιλαβοῦσα et 3, 52 νυκτὸς ἐπιλαβούσης et 9, 55 σκότους ἐπιλαμβάνοντος.

Notatu dignus negationum abusus exstat 7, 19 in his verbis: καὶ οὐ μετ' οὐ πολὺ παρῆν (ἡ στρατιὰ) εὐπορωτέρα γεγονυῖα τοῖς κατὰ τὸν βίον. nihil habeo ex his antiquitatum libris quod cum hac scriptura conponam nisi 9, 41: καὶ οὐ μετ' οὐ πολὺ νόσος ἐνέσκηψεν: utroque loco Reiskius de suo dedit καὶ οὖν, quae ratio ab usu Dionysi alienissima est, sed recte iudicavit quod eam negationis cumulationem pessimis e scriptoribus Byzantinis, ut alia sana ratione destituta, non inusitatam a sermone Dionysi arcendam putavit. utroque loco scribendum καὶ οὐ μετὰ πολύ, ut altero loco habet Urbinas, quae usitata Dionysio verborum collocatio est, cf. 4, 43 οὐ μετὰ πολὺν χρόνον. 11, 34 καὶ οὐ μετὰ πολλοὺς χρόνους. — 7, 20 τὴν παρὰ τοῦ τυράννου δωρεὰν παρῄνουν ἅπασι διανεῖμαι τοῖς δημοτικοῖς: sententia postulat ἅπασαν. c. 29: ἀδικεῖτε γὰρ ὑμεῖς, ὦ δημόται, καὶ μηδὲν ἀχθεσθῆτε ἀκούοντες, εἴ γ' οὐκ ἀναμείναντες τῆς γνώμης ἡμῶν μαθεῖν τὸ τέλος κατηγορεῖν ἤδη αὐτῆς ἀξιοῦτε: fateor posse haec sic scripta esse a Dionysio, sunt tamen paulo dubitantius dicta quam e re dicentis est. hinc suspicor οἵ γ' οὐκ ἀναμείναντες, quod sic dictum est ut c. 45 πῶς δ' ἂν ἑτέροις ἀδικεῖσθαι λέγουσι βοηθήσαιμεν οἷς γε μηδ' αὐτοῖς ὑπάρχει τὸ ἀσφαλές. — c. 30 καταλῦσαι δὲ τὴν ἀρχὴν τῶν ὑπάτων ἢ βουλὴν ἄκυρον ποιῆσαι τῆς ὑπὲρ τῶν κοινῶν προστασίας ἢ τὴν τάξιν ἀνατρέψαι τῆς πατρίου πολιτείας οὔτε ᾐτήσασθε οὔτε ἐμέλλετε: non ferendum esse alterum ἢ sed in καὶ mutandum res ipsa declarat: nam in duabus rebus quae praecesserunt continetur ἡ ἀνατροπὴ τῆς πολιτείας. non minus perversam eam particulam habeo c. 68 ὄψεις τε γὰρ οὐκ εἰωθυῖαι ἐφαίνοντο πολλοῖς — γοναί τ' ἀνθρώπων ἢ βοσκημάτων πολὺ ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν ἐκβεβηκυῖαι — ἐφέροντο: hic quoque corrigendum καὶ βοσκημάτων. c. 47 iubentur senatores iurati sententiam ferre: ἅπασι δὲ προσετάττετο παροῦσι καθάπερ ἐν δικαστηρίῳ μεθ' ὅρκον τὴν ψῆφον ἐπιφέρειν: iure hoc displicuit Reiskio cor-

rexitque *τοῖς παροῦσι.* sed non adparet quid otiosum illud ac praeter necessitatem additum participium sibi velit, cuius si aliqua vis esset hoc loco sane articulus abesse non posset, sed ipse ille articuli defectus prodit in *παροῦσι* vitium quaerendum esse, praesertim, ut dixi, otioso. quod in *παριοῦσι* correctum dicit quod hoc loco dicendum erat. *παριόντες* dicuntur qui iuraturi ad aram accedunt: eam enim tenentes (Cicer. pro Flacco 39, 90) iurabant. idem verbum restituo 6, 21 *παρῆσαν εἰσκληθέντες εἰς τὸ συνέδριον οἱ πρέσβεις* et 10, 34 *ἐπὶ τὴν βουλὴν παρῆσαν*, item 9, 44 *παρῆσαν ὡς κατηγορήσοντες τοῦ νόμου* et 9, 51, estque verbum *παρεῖναι* item removendum 9, 32: *τοιγάρτοι πάρεστιν ἡμῖν κρείττονα ἡγεῖσθαι τῆς εἰρήνης τὸν πόλεμον*: verba sunt Servili consulis bellum externum pace domesticarum turbarum plena potius consulibus visum esse profitentis: nulla in his vis et ratio vocabuli *πάρεστιν* est. scripserat Dionysius *παρέστη*, id est, in mentem nobis venit, incidimus in consilium, quod vide quam praeclare conveniat cum eis quae de eadem re supra 8, 81 scripta exstant: *ταῦτα συνιδόντες οἱ ὕπατοι γνώμην ἐποιήσαντο πολέμων προφάσει τὸ παρακινοῦν ἐν τῇ πόλει μέρος καὶ ταραττόμενον καταστεῖλαι.*

Mirabilia prolata sunt ad ea quae 7, 49 sic scripta leguntur: *σκοπεῖτε γὰρ οὕτως· ὅτε ἀπέστη λαβὼν τὰ ὅπλα ὁ δῆμος ἀφ' ἡμῶν καὶ πολέμιος ἐτόλμησεν ἐκ τοῦ φανεροῦ γενέσθαι, ἀδικηθεὶς μὲν οὐδέν, τὸ μὴ δύνασθαι δὲ τὰ χρέα τοῖς συμβεβληκόσι διαλύσασθαι σκηπτόμενος, καὶ ἐψηφίσασθε ὑμεῖς χρεῶν τε ἀποκοπὰς καὶ ἄδειαν ὧν ἥμαρτε κατὰ τὴν ἀπόστασιν, οὐδενὸς ἔτι δεήσεσθαι ἔφη· ἔγνωσαν οἱ πλείους ὑμῶν, οὐ γὰρ δὴ πάντες, παρακρουσθέντες ὑπὸ τῶν συμβούλων, ὡς μή ποτε ὤφελον, ἐπικυρῶσαι τοὺς τῇ πίστει τεθέντας νόμους καὶ μηδενὸς τῶν τότε γεγενημένων ἀδικημάτων μνησικακεῖν, οὐκ ἠγάπησε ταύτης τυχὼν τῆς χάριτος*: haec quibus modis expedire conati sint interpretes nec vacat percensere nec opus est. mea sententia locus leni admodum mutatione adhibita restitui potest sic, ut *καὶ ἐψηφίσασθε* corrigatur in *κεἰ ψηφίσαισθε*, ab *ἔγνωσαν* autem ordiatur apodosis. eam nova excipit sententia *ἀσυνδέτως* inde a vv. *οὐκ ἠγάπησε*, prorsus de more Dionysi non inepte hoc artificio in vivida et vehemente oratione saepius usi. ita, ut in his me contineam c. 50 in simillima causa sententiam orditur *ἀσυνδέτως*: *ὑπεμείνατε καὶ τοῦτο* et 8, 3 *ἐδόκει τοῖς ἀνδράσιν ἀληθὴς εἶναι ὁ λόγος.* hinc 4, 34 scribendum *οὐκ ἠνέσχοντο Ῥωμαῖοι ταῦτά μου πράττειν βουλομένου* ex codice utroque pro *οὐκ ἠνέσχοντο δέ.* — non ferendum quod c. 52 scriptum est *ὁ μὲν οὖν νόμος* —, nullus enim *οὖν* particulae locus initio expositionis, sed 8, 1 pro *ἐλογίζετο γοῦν* scribendum *ἐλογίζετο οὖν.*

Sacco similis esse oratio exitum non habenti visa est Reiskio 7, 59: *τότε πρῶτον ἐγένετο Ῥωμαίοις ἐκκλησία κατ' ἄνδρα ψηφοφόρος, ἡ φυλετική, πολλὰ δ' ἐναντιουμένων τῶν πατρικίων ἵνα μὴ τοῦτο γένηται καὶ τὴν λοχῖτιν ἀξιούντων συνάγειν ἐκκλησίαν*, censetque locum anacoluthis adnumerandum esse, quod nemini persuadebit in

tanta corrigendi facilitate. deleta particula nihil offensionis relinquitur; praeferrem *διεναντιουμένων* si de usu eius conpositi constaret. sed multo magis miror Reiskii iudicium de loco item a structura laborante infra 8, 69, quem sic constituit: *Λατίνους τε γὰρ ἠξίουν τῇ καταγραφῇ τῆς χώρας συμπεριλαμβάνειν καὶ τοὺς νεωστὶ προσληφθέντας εἰς τὴν πολιτείαν Ἕρνικας.* LXX. *Οἰκεῖα ἑαυτῷ παρασκευάσαι τὰ ἔθνη ταῦτα διανοηθείς, τῇ μετὰ τὸν θρίαμβον ἡμέρᾳ συνεκάλεσε τὸ πλῆθος εἰς ἐκκλησίαν· καὶ παρελθὼν ἐπὶ τὸ βῆμα, ὡς ἔθος ἐστὶ ποιεῖν τοῖς τεθριαμβευκόσι, πρῶτον μὲν ἀποδέδωκε τὸν ὑπὲρ τῶν πραχθέντων αὐτῷ λόγον* — 'a vocabulo *οἰκεῖα*' inquit 'exorsus sum novum caput, vulgatis a voc. *ταῦτα* id exordientibus'. non vereor ne quis temere me aut iusto confidentius critico in paucis eximio, sed mirabilia interdum sectanti oblocutum esse dicat si certo certius esse affirmavero a *Ταῦτα διανοηθεὶς* novam exordiri sententiam: structurae autem ut consulatur non tam cum Sylburgio participium excidisse credo, quam id ipsum restituendum esse in hunc modum: *Λατίνους τε γὰρ ἠξίουν τῇ καταγραφῇ τῆς χώρας συμπεριλαμβάνων καὶ τοὺς νεωστὶ προσληφθέντας εἰς τὴν πολιτείαν Ἕρνικας οἰκεῖα ἑαυτῷ παρασκευάσαι τὰ ἔθνη. Ταῦτα διανοηθεὶς* — ceterum pro *ἀποδέδωκε* scribendum *ἀπέδωκε* restituendusque aoristus etiam 7, 75 ubi scribendum *ἧς ὁ δῆμος ἐγένετο κύριος* et 9, 23 *εἰς ἀσφαλέστερον ἀπῆγε χωρίον* corrigendum *ἀπήγαγε* et 9, 35 *Σαβίνων οἱ φυγόντες* ac deinde *εἰς τὴν πόλιν ἔφυγον.*

De ratione qua antiquitus populus Romanus suffragia in comitiis tulerit libr. 7, 59 scriptum sic est: *ἐπέφερον δὲ τὴν ψῆφον οὐχ ἅπαντες ἀναλαβόντες, ἀλλὰ κατὰ τοὺς ἰδίους ἕκαστοι λόχους ὁπότε κληθεῖεν ὑπὸ τῶν ὑπάτων*: vides requiri ut dicatur suffragia tulisse non omnes simul, sed singulos in suis centuriis. id vero ut dicat reddamus Dionysio quod dederat *οὐχ ἅμα πάντες.* ac periit *ἅμα* haud dissimili ratione aliquoties in his libris. quo pertinere puto 7, 17 ubi de plebe a tribunis in concionem vocata primum offendunt verba *πληρωθείσης δὲ τῆς ἀγορᾶς, ὄχλος γὰρ ὅσος οὐδεπώποτε ἐδόκει συνῆλθεν, παρελθὼν Ἰκίλιος ὁ δήμαργος πολὺν μὲν ἐποιήσατο κατὰ τῶν πατρικίων λόγον* —: recte intellexit Reiskius *ἐδόκει* ferri non posse, cui tamen quod *ἐκεῖ* substituit vocabulum induxit prorsus otiosum hoc loco. ego etsi mallem *ἐδόκει* plane abesset eo modo quo c. 59 scriptum est *ὄχλος ὅσος οὔπω πρότερον συνεληλυθώς*, tamen cum adsit non abiciendum, sed accommodandum sententiae sic: *ὄχλος γὰρ ὅσος οὐπώποτε* (sic Urbinas) *δοκεῖ, συνῆλθεν.* intellegis ad *δοκεῖ* ex sequentibus cogitandum esse *συνελθεῖν.* secuntur post haec ea, quorum causa hunc locum attigi: *τοιαῦτα διαλεχθείς, ἐπικελεύσαντος αὐτῷ τοῦ δήμου μεγάλῃ βοῇ τὸν νόμον εἰσφέρειν, ἔχων αὐτὸν ἤδη γεγραμμένον, ἀνεγίνωσκε καὶ ψῆφον ἀναδίδωσι τῷ πλήθει περὶ αὐτοῦ παραχρῆμα ἐπενεγκεῖν· οὐ γὰρ ἐδόκει τὸ πρᾶγμα ἀναβολῆς δεῖσθαι οὐδὲ μελλησμοῦ*: scita est Reiskii ad hunc locum observatio alias per se dici *ψῆφον ἀναδιδόναι*, sine *ἐπιφέρειν*: dixitque ita Dionysius, si

recte observavi, constanter. quem hic quoque faciemus de more suo loquentem hac usi correctione: *τὸν νόμον ἀνεγίνωσκε καὶ ψῆφον ἅμα δίδωσι τῷ πλήθει περὶ αὐτοῦ παραχρῆμα ἐπενεγκεῖν*, quae sponte adparet quam apta sit ad studium hominis ac festinationem declarandam. porro *ἅμα* restituendum puto 11, 26: *σύνθημα δόντες ἀλλήλοις στῖφος ἐποίουν ὡς ἀναχωρήσοντες ἐπ' αὐτὸν ἀθρόοι*: loquitur de pluribus una et confertim impetum in Siccium facientibus. qua in re cum *ἀναχωρεῖν* verbo locum non esse intellexisset Reiskius *χωρήσοντες* proposuit, quod ita probo ut *ἅμα χωρήσοντες* corrigendum putem. ac ne proxima quidem, quae huc referuntur, satis emendate scripta videntur: *ὁρμησάντων δὲ πάντων, πολλῶν ὄντων, ἐπ' αὐτόν, ἀποκτείνει μὲν ἅμα περὶ πεντεκαίδεκα, τραυματίζει δὲ καὶ διπλασίους*: est enim *ἅμα* loco non suo positum, ut quod copulari cum *ὁρμησάντων δὲ πάντων ἐπ' αὐτόν* recta ratio iubeat.

Marcius Coriolanus ex urbe profugus a Volscisque exceptus cum id ageret ut bello cum Romanis suscipiendo iustum praetextum et speciem praetenderet, auctor erat Volscis, ut missis legatis agros et oppida sibi a Romanis erepta repeterent, qui bene sciret senatum eas conditiones indignabundum esse reiecturum. nec fefellit enim opinio: sic enim responsum a senatu est: *οὐ λανθάνετε ἡμᾶς φιλίας μὲν οὐδὲν δεόμενοι, πρόφασιν δ' εὐπρεπῆ λαβεῖν βουλόμενοι τοῦ πολέμου· ἃ γὰρ ἥκετε παρ' ἡμῶν ἀπαιτοῦντες καλῶς ἐπίστασθε οὐδέποτε ληψόμενοι· χρῄζετε γὰρ ἀδίκων τε καὶ ἀδυνάτων. εἰ μὲν οὖν δόντες ἡμῖν τὰ χωρία, ἔπειτα μεταδόξαν ὑμῖν νῦν ἀπαιτεῖτε, ἀδικεῖσθε μὴ κομιζόμενοι, εἰ δὲ πολέμῳ ἀφαιρεθέντες, οὐκέτι αὐτῶν ὄντες κύριοι, ἀδικεῖτε τῶν ἀλλοτρίων ἐφιέμενοι*, 8, 10. nego haec sic scripta esse a Dionysio, de quorum integritate cum aliquantisper dubitasset etiam Reiskius, nollem extrema adnotatione sua scripsisset 'verum tamen vulgatam si quis tueri contendat, haud repugnabo'. res haec est. alterum utrum senatus respondit statui posse de oppidis Volscorum Romanis iam subiectis, esse ea a Volscis aut sponte ipsis data aut bello a Romanis parta: utrum horum statuatur, non fieri iniuriam Volscis non impetrantibus quae ipsi dedissent, sed facere iniuriam qui quae belli iure in alienam potestatem venissent repeterent. hinc adparet vulgata scriptura contrarium dici eius quod erat dicendum scribendumque esse: *εἰ μὲν οὖν δόντες ἡμῖν τὰ χωρία, ἔπειτα μεταδόξαν ὑμῖν, νῦν ἀπαιτεῖτε, οὐκ ἀδικεῖσθε μὴ κομιζόμενοι, εἰ δὲ πολέμῳ ἀφαιρεθέντες, οὐκέτι αὐτῶν ὄντες κύριοι, ἀδικεῖτε τῶν ἀλλοτρίων ἐφιέμενοι*, praeferrem ut ad mutationem facilius — *νῦν ἀπαιτεῖτε, τί ἀδικεῖσθε* nisi oppositionis quae inter *ἀδικεῖσθε* et *ἀδικεῖτε* intercedit ratio variatam alterius membri structuram videretur excludere.

Alius generis, sed non minus apertum vitium eximendum proxime sequentibus. c. 12 Volsci dicuntur subito impetu in agrum Romanum facto ingenti praeda potiti esse cum alia tum *σῖτος τε καὶ σίδηρος καὶ ὅσοις ἄλλοις τὰ χωρία γεωργεῖται τὰ μὲν ἡρπάσθη*

τὰ δὲ διεφθάρη: haec nisi a dormitante aequo animo ferri non possunt. *χωρίων γεωργία* nulla est, sed *χώρας*. itaque ut nuper specim. II, 21 libr. 4, 37 *ληΐζεσθαι τὴν χώραν* restitui pro *ληΐζεσθαι τὰ χωρία*, sic hoc loco scribendum *ὅσοις ἄλλοις χώρα γεωργεῖται*, facitque ad probandam eam correctionem quod *τὰ* articulus Urbinati deest: cf. 8, 87 *σκεύη οἷς γῆ ἐργάζεται*: 9, 15 *σίδηρον καὶ τἆλλα ὅσα εἰς γεωργίαν ἐπιτήδεια ἦν*. sed quod binis locis exemi vocabulum bis restituo alibi. c. 21 Marcius traditur tanto expeditionis quacunque iter fecerit successu usus esse, ut nulla urbs praeter Lavinium ei resisteret. quam cum obsidio mora indigere ac diuturna fore videretur fossa valloque circumdedit ut omni commeatu intercluderetur. qua re perculsi Romani unum omnium malorum remedium fore putabant, si Marcio reditus in patriam decerneretur *τοῦ τε Λαουινίου τὸν περιτειχισμὸν ὀρρωδοῦντες ἐν χερσὶν ὄντα καὶ εἰ τόδε τὸ φρούριον ἁλώσεται τὸν πόλεμον ἐπὶ σφᾶς ἥξειν εὐθὺς οἰόμενοι*: frustra quaeras Lavinium cur castellum seu praesidium hoc loco dicatur, quam supra, uti naturae rei consentaneum erat, oppidum adpellaverat. opportune igitur accidit quod in Urbinate exstat *καὶ εἰ τὸ φρούριον ἁλώσεται* omisso *τόδε*, si quidem non magnae sagacitatis est inde colligere scripsisse Dionysium *καὶ εἰ τὸ χωρίον ἁλώσεται*. alter locus, cui eadem correctio adhibenda, est 9, 20 quo Tyrrheni dicuntur Fabios dolo et insidiis circumvenisse in hunc modum: *οἱ Τυρρηνοὶ παρεσκευασμένοι στρατιὰν συχνὴν ἐν τοῖς ἔγγιστα χωρίοις λαθόντες τοὺς πολεμίους κατεστρατοπέδευσαν· ἔπειτ᾽ ἀποστέλλοντες ἐκ τῶν χωρίων ποίμνας τε καὶ βουκόλια καὶ φορβάδων ἀγέλας ἵππων ἐπὶ νομὴν τῷ λόγῳ προὐκαλοῦντο τοὺς ἄνδρας ἐπὶ ταῦτα· οἱ δ᾽ ἐξιόντες τούς τ᾽ ἀνθρώπους συνήρπαζον καὶ τὰ βοσκήματα περιήλαυνον*: id cum identidem factum esset continua praeda inescati Romani omnem cautionem omiserunt, Tyrrheni vero *ἐγκαθίζουσι λόχους ἐν τοῖς ἐπικαίροις τῶν χωρίων νύκτωρ* —, *τῇ δ᾽ ἑξῆς ἡμέρᾳ προπέμψαντες ὀλίγους τινὰς ἐνόπλους, ὡς δὴ φυλακῆς ἕνεκα τῶν νομέων, ἀφῆκαν ἐκ τῶν φρουρίων πολλὰς ἀγέλας*: vides quae ter dicta erant *χωρία*, recte et ordine, quarto loco dici *φρούρια*, quae variatio non tam delectabilis, quam rei naturae adversa est. Dionysius quidem scripserat *χωρίων*.

Libr. 8, 38 Romani dicuntur in metu subitae obsidionis *τοὺς ἀκμαιοτάτους ὑπὸ τῇ τάφρῳ καὶ παρὰ ταῖς πύλαις τάξαι*: sed, ut opinor, non sub fossis, sed ad fossas, id est *ἐπὶ τῇ τάφρῳ* collocantur praesidia. mox c. 39 mulieribus Romanis ad opem patriae ferendam vocatis e Valeria quaerentibus *τί πράττουσαι ἂν ἡμεῖς αἱ γυναῖκες διασῶσαι δυνηθείημεν τὴν πατρίδα τῶν ἀνδρῶν ἀπειρηκότων; τίς ἡ τοσαύτη περὶ ἡμᾶς τὰς ἀσθενεῖς καὶ ταλαιπώρους ἐστὶν ἰσχύς;* respondet Valeria: *οὐχ ὅπλων καὶ χειρῶν δεόμεναι, ἀλλ᾽ εὐνοίας καὶ λόγου*: miramur Reiskio, homini acutissimo, excidere potuisse haec ad *δεόμεναι* adnotata: 'repete a communi *σώζοιμεν ἂν τὴν πατρίδα*'. ni festinasset vir summus vidisset corrigendum esse *δεομένη*: mox idem recte *ἤ τις* pro *εἴ τις*. — c. 43

magnae fuisse laudi senatui Romano dicitur ὅτι τὰ κράτιστα καὶ γενησόμενα προείδετο: quid hic dicendum esset intellexit Gelenius sic interpretatus: 'quod optime res futuras praevidisset': hoc vero est ὅτι κράτιστα τὰ γενησόμενα προείδετο. non pauca in his libris exstant articuli in vulgata scriptura loco non suo positi exempla, partim ex codicibus optimis corrigenda, alia coniectura emendanda, quo pertinere puto 7, 68 ἰδὼν δὲ καὶ τὸ δεύτερον ὄναρ, ubi scribendum ἰδὼν δὲ καὶ δεύτερον τὸ ὄναρ, et 10, 15 ἡμέρας δὲ γενομένης ὡς ἐγνώσθη τὰ κεκρατημένα τῆς πόλεως φρούρια καὶ ὅστις ἦν ὁ κατέχων ἀνὴρ τοὺς τόπους, ubi contextus sententiarum ἐγνώσθη κεκρατημένα τὰ τῆς πόλεως φρούρια scribi tantum non iubet.

Marcius cum matris precibus permotus ab armis recessisset c. 55 Romani dicuntur periculo liberati cum ingenti laetitia mulieribus, quarum opera id effectum esset, obviam ivisse eas salutaturi, sequenti autem die a consulibus coactus senatus περὶ μὲν τοῦ Μαρκίου γνώμην ἀπεδείξατο εἰς ἑτέρους ἀναβαλέσθαι καιροὺς ἐπιτηδειοτέρους τὰς δοθησομένας αὐτῷ τιμάς, ταῖς δὲ γυναιξὶν ἔπαινόν τε ἀποδεδόσθαι τῆς προθυμίας, πάλαι δημοσίᾳ γραφῇ μνήμην οἴσοντα ἐκ τῶν ἐπιγινομένων αἰώνιον καὶ γέρας: iure locum inprimis vexatum dixit Reiskius, quem Portus quidem facili pede transiliit sic legendo et distinguendo: ἀποδεδόσθαι τῆς προθυμίας πάλαι, δημοσίᾳ —. sed Porto nihil tam ineptum et sensu cassum est quod non in mentem venerit; nec Reiskii commenta in censum venire possunt, quibus ipse non multum tribuit meliorem rationem sibi non succurrere scribens, Lapus autem quid sit secutus interpretando 'matronis autem quam primum laudes promtitudinis redderentur, scriptura publica memoriam aeternam apud posteros perlatura' non adsequor. mihi vitii sedes quaerenda videtur in πάλαι vocabulo, ac reputanti ea quae supra dicta sunt c. 43 de consulibus egregiam mulierum voluntatem collaudantibus verbis simillimis τὴν προθυμίαν αὐτῶν ἐπαινέσαντες suspicio orta est ad eum locum haec verba spectare scribendumque esse ταῖς δὲ γυναιξὶν ἔπαινόν τε ἀποδίδοσθαι τῆς προθυμίας πάλιν, δημοσίᾳ γραφῇ μνήμην οἴσοντα —: iterum laudes egregiae voluntatis reddendas esse, tum quidem ad perpetuam posteritatis memoriam in publicas litteras referendas.

Animas hominum una cum corporibus interire sibi parum probabile esse Dionysius haud obscure profitetur libr. 8, 62 sic pergens: εἰ δ' ἄφθαρτοι μέχρι τοῦ παντὸς αἱ ψυχαὶ τυγχάνουσιν ἡμῶν οὖσαι, καθάπερ οἴονταί τινες, ἢ χρόνον μετὰ τὴν ἀπαλλαγήν τινα τῶν σωμάτων ἐνδιαμένουσι, μήκιστον μὲν αἱ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ἐλάχιστον δὲ αἱ τῶν κακῶν, ἀποχρῶσα τιμὴ φαίνοιτ' ἂν τοῖς ἀρετὴν ἀσκοῦσι, καὶ εἰ ἠναντιώθη τὰ ἐκ τῆς τύχης, ἡ παρὰ τῶν ζώντων εὐλογία: offendit in his verbis τινά pronomen traiectum ante Reiskium iam Sylburgium, iure, ut arbitror. neque enim credibile est Dionysium eiusmodi verborum collocatione usum esse quae ad ambiguitatem quamvis ineptam ipsa quodammodo invitaret; quare post χρόνον transponendum puto. porro offendit ἐνδιαμένειν

vocabulum nullo praeter hunc sive Dionysi sive aliorum scriptorum loco obvium. Reiskio quidem idem valere videbatur quod *συνδιαμένειν*, hoc est permanere, perdurare. quod nego statui posse, cum nihil possit aliud significare nisi permanere in aliqua re. quod si ita est, nihil potest excogitari ineptius quam hoc, ut dicatur aliquid permanere in eo, unde discesserit. itaque non videtur de vitio dubitari posse vel sic tollendo ut *ἔτι διαμένουσι* scribatur vel abiecta praepositione ut ex praecedente littera repetita *διαμένουσι*. in sequentibus insignis vulgatae scripturae interpolatio deprehenditur, quam convincit Urbinatis Chisianique fides praeclare locum sic scriptum exhibentium: *ἀποχρῶσα τιμὴ φαίνοιτ᾽ ἂν οἷς ἀρετὴν ἀσκοῦσιν ἠναντιώθη τὰ ἐκ τῆς τύχης.*

De Sp. Cassio in iudicium vocato tyrannidisque condemnato duplicem Dionysius famam refert, aliis a patriciis quibusdam in ius vocatum esse scribentibus, aliis a patre rem suspicato communicata re cum senatu domi interfectum esse. de hac altera fama sic scribit: *τὸ μὲν οὖν πικρὸν καὶ ἀπαραίτητον τῆς τῶν πατέρων ὀργῆς εἰς τοὺς ἀδικοῦντας καὶ μάλιστα ἐν τοῖς τότε Ῥωμαίοις οὐδὲ ταύτην ἀπωθεῖται τὴν πρόφασιν, ἐπεὶ καὶ πρότερον Βροῦτος ὁ τοὺς βασιλεῖς ἐκβαλὼν ἀμφοτέρους τοὺς υἱοὺς ἐδικαίωσε κατὰ τὸν τῶν κακούργων νόμον ἀποθανεῖν καὶ πελέκεσι τοὺς αὐχένας ἀπεκόπησαν*, 8, 79: sed *ὀργὴν τῶν πατέρων εἰς τοὺς ἀδικοῦντας*, id ut de parentibus, non de senatu, intelligendum sit, dici non posse nec debuit quemquam latere nec latuit Sylburgium, cui cum Lapus in interpretatione sua posuisset 'in laedentes rem publicam filios' legisse videbatur *εἰς ἀδικοῦντας τὴν πόλιν υἱούς*. sed quidni praeferamus quod ipsum se offert *εἰς υἱοὺς ἀδικοῦντας*? nec tacebo aliud quod mihi quidem hoc loco offensioni est. nomen dico *πρόφασις*, quod adparet hic sic debere accipi, ut idem sit quod *λόγος*, si quidem non modo supra dixit *ὁ μὲν οὖν πιθανώτερος τῶν παραδεδομένων λόγων* —, verum etiam in sequentibus haec ipsa *οὐδὲ ταύτην ἀπωθεῖται τὴν πρόφασιν* respiciens argumentumque eorum repetens his usus est verbis: *κατὰ μὲν δὴ τοῦτο οὐκ ἀξιῶ, ὥσπερ ἔφην, προβεβλῆσθαι τὸν λόγον.* iam etsi multiplicem fateor *πρόφασις* nominis usum esse, tamen non reperio quo pacto h. l. commode interpretari queam, ut *οὐδὲ ταύτην ἀπωθεῖται τὴν ἀπόφασιν* Dionysium scripsisse existimem, quod idem vocabulum pridem restitui 2, 40: *ἔοικε δὲ τὰ μετὰ ταῦτα γενόμενα τὴν Πείσωνος ἀληθεστέραν ποιεῖν ἀπόφασιν* pro vulgato *ἀπόκρισιν*, nunc video idem de eo loco placuisse Lud. Dindorfio in H. Stephani thes. v. *ἀπόκρισις*.

Eadem corrigendi facilitate subvenio loco item duplice vitio laboranti c. 86. res haec est. Caeso Fabius consul auspiciis non addicentibus prohibitus quo minus ipse periclitanti conlegae contra Volscos auxilio veniret *αὐτὸς μὲν ὑπέμεινε, τὰς δὲ κρατίστας ἐπιλεξάμενος σπείρας ἀπέστειλε τῷ συνάρχοντι. αἱ δὲ διά τε ὁδῶν ἀφανῶν καὶ νύκτωρ ποιησάμεναι τὰς ὁδοὺς εἰσῆλθον εἰς τὸν χάρακα τοὺς πολεμίους λαθοῦσαι. ὁ μὲν οὖν Αἰμίλιος θρασύτερος ἐγεγόνει τῇ παρουσίᾳ τῶν συμμάχων, οἱ δὲ πολέμιοι τῇ τε*

πλήθει τῷ σφετέρῳ ἐκεῖ πίσυνοι καὶ διὰ τὸ μὴ ἐπεξιέναι τοὺς Ῥωμαίους εἰς μάχην ἐπαρθέντες ἀνέβαινον ἐπὶ τὸ ὄρος: non video quemquam in his verbis offendisse, quae meo sensu a Dionysio sic profecta esse non possunt. nam primum quae ista tam inepta est dicendi ratio *δι᾽ ὁδῶν ἀφανῶν καὶ νύκτωρ ποιεῖσθαι τὰς ὁδούς*? deinde quae vis et ratio est istius *ἐκεῖ*, non tam otiosi quam ultra quam feras molesti? certo, ni fallor, adfirmari licet scripsisse Dionysium *αἱ δὲ διά τε ὀρῶν ἀφανῶς καὶ νύκτωρ τὰ πολλὰ ποιησάμεναι τὰς ὁδούς*, cui conparo 6, 42: *Αἰκανοὶ δὲ ἐπεὶ τὰ τῶν συμμάχων τέλος ἔχοντα ἐπύθοντο χωρίοις τ᾽ ἐχυροῖς ἐπεκάθηντο καὶ εἰς μάχας οὐ προῄεσαν τάς τ᾽ ἀποχωρήσεις ὅπῃ ἐδύναντο δι᾽ ὀρῶν ἢ δρυμῶν κορυφῶν ἐποιοῦντο*: sic vulgo, sed cum in Urbinate pro *κορυφῶν* exstet *κορυφαῖς*, in Chisiano *κούφας* in specim. I, p. 18sq. Dionysium *κρυφαίας* scripsisse suspicatus sum, dissentiente Cobeto nov. lect. p. 446 cui non obloquar probabilius existimanti *κρύφα*, cui similiter dictum quod hoc loco restituo *ἀφανῶς*. non maiori opera substituemus otioso illi et molesto *ἐκεῖ* quod commode et apte sit dictum. etenim Volscos si paulo consideratius egissent Romanis futuros fuisse superiores Dionysius in praegressis haud obscure significavit, sed quod temere confisi multitudini suae elatique animo quod Romani in aciem non prodirent rem gerere adgressi sunt effecit ut clade adficerentur. id dicentem habebimus Dionysium scribendo *τῷ πλήθει τῷ σφετέρῳ εἰκῇ πίσυνοι*, atque ad hanc temerariam Volscorum fiduciam spectant quae mox secuntur de eisdem c. 88 *μαθοῦσι δὲ τὴν παρουσίαν αὐτοῦ τοῖς πολεμίοις ἐδόκει στρατιάν τε ἑτέραν μεταπέμπεσθαι καὶ ἐν ὀχυρωτέρῳ τὸ στρατόπεδον ποιήσασθαι χωρίῳ καὶ μηδὲν ἐκ τοῦ καταφρονεῖν αὐτῶν ἔτι προπετὲς κινδύνευμα, ὡς πρότερον, ὑπομένειν*, quae vides quam praeclare correctionem illam adiuvent. eiusmodi adiumento non egemus ad tollendum vitium sane quam turpe in proximis c. 87: *ὁ δὲ συνύπατος αὐτοῦ τοὺς ὑφ᾽ ἑαυτὸν ἄρχοντας ἐπὶ στρατοπέδου καταλιπὼν εἰς τὴν πόλιν ᾤχετο· καὶ συγκαλέσας τὸν ὄχλον ἐπὶ τὰς ἀρχαιρεσίας οἷς μὲν ὁ δῆμος ἐβούλετο δοθῆναι τὴν ὑπατείαν ἀνδράσιν ἐκ τῶν ὑπατευκότων οὐ προὔθηκε τὴν ψηφοφορίαν, ἐπειδὴ οὐκ αὐτοὶ μετῄεσαν τὴν ἀρχὴν ἑκόντες, ὑπὲρ δὲ τῶν μετιόντων τούς τε λόχους ἐκάλεσε καὶ τὰς ψήφους ἀνέδωκεν*: consul his verbis dicitur non fecisse suffragia ferendi potestatem de eis viris, quibus plebs voluerit consulatum dari, quia ipsi non volentes magistratum petierint, sed de eis in suffragia misisse qui petierint. iam vide mihi ineptam istam oppositionem eorum qui *οὐκ αὐτοὶ μετῄεσαν ἑκόντες* et qui *μετῄεσαν*. sed non opus est verbis ubi res ipsa loquitur. scripserat Dionysius *οὐκ αὐτοὶ μετῄεσαν τὴν ἀρχὴν ἥκοντες* 'quoniam non ipsi praesentes peterent'. ni mirum non tam legem quam morem et consuetudinem constat absentes a petitione honorum submovisse. hinc tanquam singulare quiddam memoratur si quis absens creatur (9, 42).

Sed omissa paulisper singulorum locorum disceptatione conprehendam hoc loco conplu-

res viti mihi suspectos ex uno eodemque fonte derivandi. etenim suo quisque usu conpertum habet in describendo admodum proclivem esse errorem, si quando, ut fit, minus attendamus, ut ad sequentia oculis aberrantes omittamus quae cum maxime erant scribenda, vel bis scribamus quae semel erant scribenda, vel unius cuiusdam vocabuli notio ita inhaereat menti et ipsi quodammodo calamo, ut vicinum vocabulum nobis insciis et invitis in eandem speciem pertrahat. ex hoc quod postremum posui genere sat multa vitia in his libris orta sunt partim egregia codicum Urbinatis et Chisiani ope tollenda, alia coniectura emendanda, quorum superat vetustas illorum codicum aetatem. rem non inutile fuerit aut iniucundum paucis, sed luculentis exemplis inlustrasse. libr. 1, 61 *Δάρδανος ἐν τῇ καλουμένῃ νῦν Τρωάδι πόλιν ὁμώνυμον αὐτῷ κατασκευάσας, δόντος αὐτῷ τὰ χωρία Τεύκρου βασιλέως, ἀφ᾽ οὗ Τευκρὶς τῶν χωρίων ἡ γῆ ἐλέγετο*: sic vulgo; quid codices? *Τευκρὶς τὸ ἀρχαῖον ἡ γῆ ἐλέγετο.* 5, 50 vulgata scriptura haec est: *ἐλῄστευον γὰρ ἐξ αὐτῶν τινες τοὺς ὁμοτέρμονας ἀγροὺς ὑπὸ τῶν δυνατῶν ἀποστελλόμενοι καὶ πολλὰ τοὺς γεωργοὺς τῶν ἀγρῶν ἔβλαπτον*: tulerunt eam interpretes ac ferremus nos quoque nisi Urbinatis Chisianique beneficio cognitum haberemus scripsisse Dionysium *τοὺς γεωργοὺς τῶν Ῥωμαίων*, quod si quis coniectando proposuisset futuri fuissent qui temeritatis arguerent. eadem ratio est loci libr. 10, 30 *εἰπόντος δὲ τοῦ ὑπάτου, ὅτι τοῦτο τὸ πολίτευμα τῇ βουλῇ συγχωροῦντες οὐδενὸς ἄλλου ἁμαρτήσονται τῶν δεόντων καὶ κελεύοντος λέγειν ὅτου δέονται*: hoc quoque sic conparatum est, ut a Dionysio scribi potuerit, sed quis dubitet ambabus manibus conplecti codicum scripturam *οὐδενὸς ἄλλου ἁμαρτήσονται τῶν μετρίων*? eiusdem libri c. 36 haec nunc feruntur: *τὸν αὐτὸν τρόπον ὑπὲρ ὅλου τοῦ συντάγματος ἀγωνισάμενος τόν τ᾽ ἀετὸν ἀνεσωσάμην καὶ τὸν στρατοπεδάρχην ἔσωσα*, in quibus Dionysium *ἀνεκομισάμην* dedisse evincit Urbinas. libr. 4, 23 *πολλὰ ὠφεληθήσεσθαι τοὺς εὐπορωτάτους Ῥωμαίων ἐὰν τοὺς ἀπελευθέρους ἐῶσι τῆς ἐκκλησίας μετέχειν ἐν ἐκκλησίαις τε καὶ ψηφοφορίαις*: quod pridem correxeram *τῆς πολιτείας* repertum in Urbinate. similiter mihi res cessit 6, 12 *ἧκον δὲ καὶ τούτοις ἐκ τῶν φυγάδων τῶν ἐκ Ῥώμης ἱππέων τε καὶ ψιλῶν βοήθειαι, καὶ ὁ Μαμίλιος ἀνειληφὼς ἐκ τῆς πληγῆς ἑαυτὸν ἤδη παρῆν αὖθις ἄγων πλῆθος ἱππέων τε καὶ ψιλῶν πεζῶν καρτερόν*: quod intellexeram *ψιλῶν* vocabulum ex praegresso per errorem repetitum esse assensu conprobarunt Urbinas et Chisianus. libr. 4, 66: *οὔτε προσαγορεύουσα κατὰ τὰς συναντήσεις οὐδένα τῶν προσαγορευομένων οὔτε ἀποκρινομένη τοῖς μαθεῖν βουλομένοις ὅ τι πέπονθεν*: quod Sylburgius divinaverat *τῶν ἀσπαζομένων* egregie confirmat Urbinas. libr. 4, 75 *ὀνομασάτω τοὺς μέλλοντας ἕξειν τὴν μέλλουσαν βασιλείαν*: quis spernat scripturam Urbinatis *τὴν ἐνιαύσιον βασιλείαν*? libr. 5, 71 *μεσοβασιλέων δ᾽ αὐτοῖς μηδὲν ἐν τῷ παρόντι δεῖν, οὓς ἐν ταῖς μοναρχίαις ἀποδείκνυσθαι μονογνώμονας τῶν μελλόντων ἄρξειν*: vere Urbinas *γνώμονας*. libr. 1,

84 *πολλῶν δὲ συνελθόντων ἅμα τοῖς ἐπαιτίοις ἐπὶ φράσει τῆς δίκης, φράσαντα τοῖς νεανίσκοις*: recte Urbinas *ἐπὶ τῇ προφάσει.*

Vides ex his exemplis, quae aliis augere facile erat, ex hoc uno fonte quam multiplex vitiorum genus derivandum sit. quod quidem multo latius patet, in his quidem Dionysi libris, quam vulgo existimatur in ipsisque illis codicibus quos optimos praedicamus, uti supra dictum, deprehenditur, ut ubi idonea ratio adsit sine ulla dubitatione ab hac suspitione in emendando proficisci liceat. non nullos locos qui huc pertinere videbantur tractavi in superioribus commentationibus, quibus iam accedant alii.

Marcius Coriolanus cum a tribunis ob factam aedilibus iniuriam, quos pridie iussos a tribunis ut eum abducerent pulsatos abegisset, capitis esset damnatus aedilesque accessissent eum conprehensuri, ingens in foro tumultus ortus est, plebe in patricios, patriciis in plebem inruentibus, nulla nec verborum nec factorum servata modestia, *κατελήφθη δὲ καὶ σωφρονεῖν ἠναγκάσθη τὰ παρακινοῦντα ὑπὸ τῶν ὑπάτων βιασαμένων εἰς μέσους καὶ τοῖς ῥαβδούχοις ἀναστέλλειν κελευσάντων τοὺς ὄχλους· τοσαύτη ἄρα τῆς ἀρχῆς ἦν αἰδὼς τοῖς τότε ἀνθρώποις καὶ οὕτω τίμιον τὸ τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας τίμημα*, 7, 35. cohibiti ergo turbatores sunt et ad sanam mentem revocati summa consulatus reverentia, qui magistratus regiae potestatis esset. iam *τίμημα* Dionysio ubique est vel census vel litis aestimatio, multa, poena, nusquam sic usus est, ut idem significaret quod *τιμή*. ac si vel maxime probari posset esse id vocabulum a pedestris orationis scriptore aliquo ea vi usurpatum, eccui tolerabile *τίμημα τίμιον*, honor honoratus? consules regia potestate instructos fuisse aliquoties dixit Dionysius, v. 6, 65 *βασιλικὸν ἔχουσι τὸ τῆς ἀρχῆς κράτος*; 10, 34 *ἡ μὲν ὑπατικὴ τὸ τῶν βασιλέων ἔχουσα κράτος*, quibus qui addiderit 9, 41 *τὴν ἀρχὴν τῶν ὑπάτων βασιλικὸν ἔχουσαν ἀξίωμα*, ac 5, 71 de dictatura: *τῷ δὲ χαρίσασθαι τὴν ἀμφοτέρων* (consulum) *ἐξουσίαν, μείζονα βασιλικοῦ σχήματος γινομένην*, mirabor si refragetur huic correctioni: *οὕτω τίμιον τὸ τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας σχῆμα* ne litterarum quidem ductibus librorum scripturae admodum dispari. — libr. 5, 39 *ψηφίζεται — ἰδίᾳ θατέρῳ τῶν ἀνδρῶν Οὐαλερίῳ δωρεὰν τόπον εἰς οἴκησιν ἐν τῷ κρατίστῳ τοῦ Παλλαντίου τόπῳ δοθῆναι*: iustissima est Reiskii offensio in *τόπῳ* vocabulo: ‘quamquam enim subauditur’ ait ‘tamen poni non solet in similibus’. sed quod uncis inclusit ut delendum adsentiri dubito. parum enim probabile est interpretem hoc loco sibi supplendum duxisse quod neglexerit cum alibi tum supra c. 25 *τῆς ἀγορᾶς ἐν τῷ κρατίστῳ*, quare propensior sum in eam sententiam, quod Dionysius scripserit *ἐν τῷ κρατίστῳ τοῦ Παλλαντίου λόφου* culpa praecedentis nominis in illam scripturam abiisse. ac vide ne idem acciderit in proxime superioribus c. 38 *ὑπ᾽ ὀργῆς τε καὶ φιλονεικίας ἐξαφθέντες συνάπτουσι μάχην*, non quod in *ἐξάπτειν* sic usurpato offensio sit, sed quod iuxta alterum illud collocacatum nescio quid male seduli artifici habet: nec meo solius sensu habet, sed offendit etiam

Reiskium cui quod scribendum videbatur *ἐξαχθέντες* posthabeo ei, quo Dionysius in tali re uti solet *ἐπαρθέντες*. Ceterum locum libr. 5, 39 quoniam attigi nolui intacta relinquere quae ibidem sic scripta leguntur: *τοῦ δ' εὐωνύμου κάμνοντος ἤδη — μαθὼν τὸ γινόμενον ὁ ὕπατος ἐξῆγε τὴν στρατιάν· αὐτὸς μὲν οὖν τὴν φάλαγγα τῶν πεζῶν ἐπαγόμενος βάδην ἠκολούθει, τὸν δὲ πρεσβύτερον Σπόριον Λάρκιον τὸν ὑπατεύσαντα τῷ παρελθόντι ἐνιαυτῷ τοὺς ἱππεῖς ἄγοντα πέμπει κατὰ σπουδήν*: ex sequentibus *πρεσβευτὴν* legendum esse censuerat Portus, cui oblocutus Sylburgius eum hic significari animadvertit, qui esset e seniorum centuria, quam in rem conparavit 4, 16 et 5, 23. conprobavit hoc adsensu suo Lud. Dindorfius in Steph. thes. s. v., nec ego dubito quin recte senserit Sylburgius, nisi quod id graece sic dici non potuisse existimem. scripserat, opinor, Dionysius *τῶν δὲ πρεσβυτέρων*. sic demum conveniunt cum hoc loco ei quos conparavit Sylburgius, quorum satis habeo retulisse alterum: *Σπόριος Λάρκιος καὶ Τίτος Ἑρμήνιος οἱ τὸ δεξιὸν ἔχοντες κέρας ἐκ τῶν πρεσβυτέρων*, 5, 23.

Gravioris cuiusdam viti suspitionem mihi movit locus in oratione Appi 7, 50 qua vehementissime invehitur in plebis insolentiam, quae et alia praeter ius fasque sibi adrogarit et Marcium indemnatum occidere conata sit: *καὶ εἰ μὴ δεινὸν ἡγούμενοι τὸ πρᾶγμα οἵ τε ὕπατοι καὶ ὑμῶν οἱ τὰ κρείττω φρονοῦντες συνεστράφητε καὶ τὴν παρανομίαν ἐπέσχετε αὐτῶν, ἐν μιᾷ τῇ τότε ἡμέρᾳ πάντα ἂν ἀφῃρέθητε ὅσα οἱ πατέρες τε ὑμῖν σὺν πολλοῖς κτησάμενοι, πόνοις κατέλιπον καὶ αὐτοὶ ὑμεῖς οὐκ ἐλάττους ἀγῶνας ἐκείνων ὑποστάντες ἔχετε, τὸ ἀξίωμα, τὴν ἡγεμονίαν, τὴν ἐλευθερίαν· οἱ δὲ γενναιότεροι καὶ οὐκ ἀγαπήσαντες αὐτὸ τὸ ζῆν, εἰ μὴ μετὰ τούτων ἐμέλλετε τῶν ἀγαθῶν βιώσεσθαι, τὰς ψυχὰς ἂν πρότερον ἢ ταῦτα ἀφῃρέθητε, οἱ μὲν εὐθύς, οἱ δ' οὐκ εἰς μακράν*: postremo fateor me non expedire, quippe quae contineant quod non recte cogitatum sit, videoque etiam Reiskium haesisse, sed ut mentem eius non adsequar nec videam quo modo quae ad locum emendandum protulit stare possint. si recte novi Dionysium tale quid dixisse putandus est: *οἱ δὲ γενναιότεροι καὶ οὐκ ἀγαπήσαντες αὐτὸ τὸ ζῆν, εἰ μὴ μετὰ τούτων ἐμέλλετε τῶν ἀγαθῶν βιώσεσθαι, ἀλλὰ τὰς ψυχὰς ἂν πρότερον προέμενοι ἢ ταῦτα, ἀνῄρησθε ἄν, οἱ μὲν εὐθύς, οἱ δ' οὐκ εἰς μακράν*, quam vere iudicent alii. sed, ut hoc addam, quae proxime praecedunt ab Appio ad senatum dicta (*ὁ δῆμος*) *τῶν ὑπάτων ὡς οὐκ ὀρθῶς τὴν πόλιν ἐπιτροπευόντων κατηγορεῖ καὶ τοῖς ἐκβαίνουσι παρὰ τὰς ὑμετέρας συνθήκας, πολλὰ δ' ἐστὶν ὧν οὐ δύναται στοχάσασθαι λογισμὸς ἀνθρώπινος, οὐ τὴν τύχην, ὥσπερ ἔφην, ἀλλὰ τὴν ὑμετέραν ἐπιγράφει διάνοιαν*, certa emendatione restituere possum. iure quaerit Sylburgius 'quo referes illa *οὐ τὴν τύχην, ὥσπερ ἔφην*?' ipseque Reiskius 'ubinam vero locorum hoc dixisti, Appi?' idem tamen quod sibi ipse respondens addit 'in illis proximis puta, *πολλὰ δ' ἐστίν* —' non

opus est refutare. nihil de ea re dixerat Appius nec dicentem se dixisse fecit Dionysius, qui non *ὥσπερ ἔφην* scripserat, sed *ὥσπερ ἐχρῆν* h. e. uti debebat, uti par erat.

Leviora, nec tamen praetereunda haec sunt. 2, 65 *τὰ παρ' Ἕλλησιν ἔθη μιμησάμενος ἃ παρὰ ταῖς ἀρχαιοτάταις τῶν πόλεων ἔτι γίγνεται*: scribendum puto *ἅπερ ἐν ταῖς*: est enim *παρὰ* sic positum insolentissimum ac si recte observavi nusquam alibi a probatae graecitatis scriptore usurpatum. nam quem unum praeter hunc novi Dionysi locum 8, 26 item corruptum atque ad legitimum usum puto revocandum esse. verba haec sunt: *Ῥωμαίοις πολλὴ μὲν ἐστὶ νεότης ἐπιχώριος — στρατηγοί τε* (scr. *δὲ*) *οἷος σὺ καὶ πρεσβύτεροι καὶ νεώτεροι τοσοῦτοι τὸ πλῆθος, ὅσοι παρὰ πάσαις οὐκ εἰσὶ ταῖς ἄλλαις πόλεσι, μεγίστη δὲ πασῶν βοήθεια* — corrigo *ὅσοιπερ ἁπάσαις*, quod ut in alterum abiret effecit sequens *πασῶν*, structura autem sic demum convenit cum ea qua coepit ratione *Ῥωμαίοις δὲ πολλὴ μὲν ἐστί* —. quod 5, 76 *προήγαγε τὰς δυνάμεις εἰς τὴν ὕπαιθρον καὶ προτίθεται στρατόπεδα τρία* correxeram *τίθεται* confirmatum vidi Urbinate. eiusdem libri c. 51 *οὐκέτι τοὺς πρεσβευτὰς τῶν Ῥωμαίων οἱ πρόεδροι προαγαγόντες ἐπὶ τὸν σύλλογον* corrigo *παραγαγόντες*, eademque correctio adhibenda 6, 69 *οἱ μὲν ὕπατοι προελθόντες εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοὺς πρεσβευτὰς προήγαγον*: est enim *παράγειν* legitimum de eis qui in contionem vel iudicium producuntur sive testes sive iudices sive legati. idem vocabulum eadem, ut videtur, causa corruptum restituendum puto 8, 3 *τοῖς δὲ καὶ πάλαι μὲν εἶναι τὸ πρᾶγμα ἐδόκει μεστὸν ὑποψίας, τοσαύτην νεότητα ἐξ ἑνὸς ἔθνους διαφόρου σφίσιν ἐπὶ τὴν θέαν προσελθεῖν, προσελθούσης δὲ μηνύσεως — ἰσχὺν βεβαίαν ἡ δόξα ἔλαβεν*: non *συνελθεῖν* cum Sylburgio, sed *παρελθεῖν* corrigendum puto. item 2, 45 *ὡς δ' εἰς τὸν χάρακα τῶν Σαβίνων προῆλθον ὀδυρόμεναι καὶ προσπίπτουσαι τοῖς ἁπάντων γόνασι, πολὺν οἶκτον — ἐκίνησαν* scribendum *παρῆλθον*, quem ad modum Arriano exped. 1, 8, 2 *προεληλυθότα εἴσω τοῦ χάρακος* restitui *παρεληλυθότα*. quoniam autem hoc genus viti in praepositionibus conmissi attigi addo alia eadem de causa suspecta. 4, 40 *θορύβου δὲ γενομένου πολλοῦ ἐπὶ τὴν πόλιν ὅλην καὶ οἰμωγῆς ἐπὶ τῷ Τυλλίου θανάτῳ*: recte Urbinas *κατὰ τὴν πόλιν*. hinc 2, 10 *τοὺς μὲν πατρικίους ἔδει τοῖς ἑαυτῶν πελάταις ἐξηγεῖσθαι τὰ δίκαια — ἅπαντα πράττοντας ὅσα περὶ παίδων πράττουσι πατέρες εἰς χρημάτων τε καὶ τῶν περὶ χρήματα συμβολαίων λόγον, δίκας τε ὑπὲρ τῶν πελατῶν ἀδικουμένων λαγχάνειν* —: licet *περί* et *ὑπέρ* praepositionum discrimen a posterioris aetatis scriptoribus non diligenter observatum sit, vix tamen erit qui hoc loco non malit scriptum *ὑπὲρ τῶν παίδων*. porro offendor 4, 52 *τὴν δύναμιν — ἀναλαβὼν εἰς Ῥώμην ἀπῄει πλουτοῦσαν τὴν στρατιὰν ἀπάγων*, ubi Dionysium *ἄγων* scripsisse puto, nam alius generis loci sunt qualis 5, 39 *ἀπῆγον ἐπ' οἶκον τὰς δυνάμεις*. multo minus autem ferendum iudico 4, 38 *ἔπειτα γνώμην ἀποδειξαμένης τῆς γυναικὸς μηδὲν ἔτι*

μαλακίζεσθαι μηδὲ κατοκνεῖν, ἀλλὰ καταβαλόντα τοὺς λόγους ἐπὶ τὰ ἔργα χωρεῖν: nam *καταβάλλειν* est deicere, hic autem abicienda esse verba dicendum erat h. e. *ἀποβαλόντα*: ex eodem fonte ortum quod statim post vitiose legitur *ἐπὶ τῆς βασιλικῆς καθήμενον καθέδρας* pro *ἕδρας*. nimius esse videar si vel in *τούς τε τῶν πολεμίων σκυλεύσας νεκροὺς ὁ ὕπατος καὶ τῶν ἰδίων ταφὰς ποιησάμενος ἐξῆγε τὴν δύναμιν καὶ πλησίον τῆς Οὐϊεντανῶν χώρας* (*πόλεως* Sylburgius) *καταστήσας προκαλεῖται τοὺς ἔνδον· ὡς δ' οὐδεὶς ἐξῄει* 9, 35 *ἐξῆγε* ex sequente *ἐξῄει* ortum esse dicam. utut est, certe *ἐξῆγε* ferri non potest pro *ἀπῆγε*. contra 3, 49 *τὸ τεῖχος ἐκ θεμελίων κατασκάψας ἀπῆγε τὴν δύναμιν ἐπ' οἶκον· καὶ μετὰ τοῦθ' ἑτέραν στρατιὰν ἀπῆγεν ἐπὶ τὴν Κρουστομεριν ῶν* vel *ἐξῆγεν* scribendum vel *ἦγεν*.

Libr. 8, 73 *νῦν μὲν γάρ, ἔφη, ὁ φθόνος τῶν πενήτων ὁ πρὸς τοὺς πλουσίους, ὅσοι σφετερισάμενοι τὰ κοινὰ διακατέχουσι, δίκαιός ἐστι*: in *διακατέχειν* verbo de possidentibus dicto per se nulla omnino offensio est, ususque eo est Dionysius aliquoties. sed reputanti mihi quoties de agro publico a privatis usurpato mentio iniciatur fieri id sic, ut per vim ea quae publica sint retinere dicantur, Dionysius hic quoque non *διακατέχουσι* sed *βίᾳ κατέχουσι* scripsisse videtur, cf. in superioribus *εἴ τινα κλέπτοντες ἢ βιαζόμενοι ἐπεργάζονται*, 9, 52 *περὶ τοῦ βιασαμένους τινὰς ἢ λαθόντας σφετερίσασθαι τὰ δημόσια* — 10, 36 *τοὺς δυνατοὺς ἐσφετερισμένους ὁρῶσι τὰ κοινὰ καὶ καρπουμένους ἐκ τοῦ βιαίου*; denique de eadem re 10, 37 *τὰ ἡμέτερα βίᾳ κατέσχον*. simillimum vitium corrupit locum libr. 10, 15. etenim Sp. Herdonius cum capitolium occupasset in magna omnium perturbatione consules cives ad arma vocabant. quibus se obsecuturos esse tribuni pollicebantur si certis et aequis conditionibus, quae plebis incommodis consulerent periculum adiretur. quibus cum fortiter adversaretur Appius, negans talibus sociis opus ipsis esse, qui non ultro, sed mercede patriae opem ferre vellent, patriciosque ipsos cum suis clientibus hostes obsessuros esse dicens, obstitit collega eius Valerius *οὐκ οἰόμενος δεῖν ἠρεθισμένον τὸ δημοτικὸν ἐκπολεμῶσαι τελέως τοῖς πατρικίοις, εἶξαί τε συνεβούλευε τῷ καιρῷ, καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἔξωθεν πολεμίους τά γε δίκαια ἀντιτάττειν, πρὸς δὲ τὰς πολιτικὰς διατριβὰς τὰ μέτρια καὶ εὐγνώμονα*: in his quod *τὰ δίκαια ἀντιτάττειν* interpres reddidit de iure dimicare, vim verbis tribuit quae nec inest in eis nec si inesset commoda esset. rectius sic videmur statuere. *οἱ ἔξωθεν πολέμιοι* hostes sunt qui extrinsecus in urbem ingressi capitolium occupatum tenent: contra hos dicit vi utendum, cum civibus ex aequo et benigno disceptandum esse, hoc est *πρὸς μὲν τοὺς ἔξωθεν πολεμίους τὰ βίαια ἀντιτάττειν*, abiecta inutili hoc loco *γε* particula. conponam cum hoc loco alterum cui idem vocabulum eximendum puto. libr. 11, 40 Virgini populum in decemviros concitantis atque ad patriam a tyrannide eorum liberandam excitantis haec verba sunt: *ἐλευθεροῦτε ἀπὸ τῶν τυράννων τὴν πατρίδα, ἐν ᾗ θεῶν τε ἱερὰ ἵδρυνται καὶ θῆκαι προγόνων εἰσίν, οὓς*

ὑμεῖς τιμᾶτε μετὰ θεούς, καὶ γηραιοὶ πατέρες τροφεῖα πολλὰ καὶ ἄξια τῶν πόνων ἀπαιτοῦντες, γυναῖκές τε κατὰ νόμους ἐγγυηθεῖσαι — καὶ γοναὶ παίδων ἀρρένων, οἷς ὀφείλεται δίκαια φύσεως προγόνων: postrema sic interpretatus est Lapus: ʻquibus debentur iusta naturae progenitorumʼ quod non magis intellegi potest quam Geleni interpretatio ʻquibus avitae propagationis iura debenturʼ. nec Reiskio feliciter res cessit coniectanti *οἷς ὀφείλεται δίκαια φύσεως καὶ προγόνων*, quod sic volebat intellegi: ʻerga quos non solum munia patrum a natura vobis iniuncta fungi vos par est, sed etiam iura a maioribus parta et vobis tradita salva atque intemerata sunt conservanda atque relinquendaʼ. mihi commoda sententia sic demum restitui videtur ut corrigatur *οἷς ὀφείλεται οἰκεῖα φύσεως προγόνων*, ut patres dicantur filiis debere propria et accommodata naturae proavorum h. e. agendi rationem eam, quae conveniat cum indole et moribus maiorum, ne degenerasse videantur et exempla proponant proavis indigna. ita de Alexandro Macedone Diodorus 17, 1: *οἰκείαν ἔσχε τὴν φύσιν καὶ τὴν ἀρετὴν τῆς τῶν προγόνων εὐδοξίας*. ceterum quoniam id agimus, ut Dionysio emendando prosimus, addo illi, a quo profectus sum loco (8, 73) alterum vitium ipsa, si quis attendat, sententia convictum eximendum esse. nam quae vulgo sic leguntur: *εἷς μὲν ἕκαστος τῶν πενήτων γήδιον οὐ μέγα λαβὼν καὶ εἰ τύχοι γείτονας ὀχληροὺς ἔχων, οὔτε αὐτὸς ἱκανὸς ἔσται τοῦτο γεωργεῖν δι' ἀπορίαν οὔτε τὸν μισθωσόμενον — εὑρήσει*, sic demum recte se habere si pro *ἔχων* scribatur *ἔχον* non debuit quemquam latere.

Missam faciam hanc partem disputationis ubi de loco libr. 9, 11 dixero. Romani cum in proelio acerrimo a Tyrrhenis urgerentur sinistrumque cornu ab hostibus circumventum esset, Marcus Fabius consul re audita *τοὺς κρατίστους τῶν λόχων ἀναλαβὼν καὶ τὸν ἕτερον τῶν ἀδελφῶν Καίσωνα Φάβιον ἀνακαλεσάμενος παρήλαυνεν ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ φάλαγγα, καὶ μέχρι πολλοῦ προελθών, ἐπειδὴ παρήλλαξε τὸ δεξιὸν τῶν πολεμίων κέρας, ἤλαυνεν ἐπὶ τοὺς κυκλουμένους*: adparet perversum vel potius sensu cassum esse quod Fabius ad suam aciem dicitur praetervectus esse, *παρήλαυνεν ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ φάλαγγα*, cui quod Reiskius substituit *παρήλαυνεν ἐπὶ τὸν ἑαυτοῦ ἀδελφόν* adeo superat corrigendi veniam ac probabilitatem, ut critico eximio indignum esse quamvis invito dicendum sit. veram rationem praeivit in interpretatione sua Gelenius ʻM. Fabius — suam aciem praeteriit et longius progressus quum dextrum hostium cornu transisset venit ad eos a quibus sui circumdabanturʼ. vides scribendum esse *παρήλαυνε τὴν ἑαυτοῦ φάλαγγα* deleta praepositione, orta illa culpa librarii oculis ad sequentia *ἤλαυνεν ἐπὶ τοὺς* — aberrantis.

Quod in eis, quae alio tempore de via et ratione ad emendanda haec scripta ineunda aliquoties observavi exemplisque conprobavi, eam deberi codicibus antiquissimis reverentiam, ut vel ea, quae vitiose in eis scripta legerentur et omni esse intellectu destituta viderentur non continuo abicienda aut neglegenda essent, sed accurate perpendenda et rimanda, placet iam aliis

quibusdam testimoniis confirmare quae relegenti mihi nuper libros antiquitatum octavum et nonum huc pertinere visa sunt.

Igitur libr. 8, 32 Marcius Coriolanus Minucio, qui ut decretum ipsi reditum in patriam ne repudiaret persuadere conatus erat, respondens nihil boni se precibus eius obsecutum sibi sperare posse dicit, cum patricii quamvis velint non tantum valituri sint, ut plebis in ipsum odio resistere possint: *τί οὖν ἔσται μοι τῆς ὑμετέρας ἀγνοίας ἢ μωρίας ὄφελος, κωλύειν μὲν οὐδὲν οὐδ᾽ ἂν βούλησθε ὑμῶν δυνησομένων, χαρίζεσθαι δὲ καὶ τοῦτο τῷ δήμῳ σὺν τοῖς ἄλλοις ἀναγκασθησομένων*; exhibui vulgatam lectionem, a qua non multum recedit Chisiani scriptura *κωλύειν μὲν οὐδὲν οὐδ᾽ ἂν βούλησθε οὐ δυνάμενοι*, plurimum differt Urbinatis hoc: *κωλύειν μὲν οὐδ᾽ ἂν οἷοί τε δυνησομένων*. id ego tantum abest ut casui tribuendum esse existimem nescio cui, ut verae scripturae in vulgata temere interpolatae indicia certissima continere persuasum habeam. neque magnae sagacitatis est inde collegere scripsisse Dionysium *οὐδ᾽ ἂν οἷοι ἦτε*. erunt fortasse qui retenta *τε* particula malint *οἷοί τ᾽ ἦτε*, ac sane video Meinekium, cuius summa apud me est auctoritas, apud Parthenium 7 *οἷός τε ἦν αὐτὸν βίᾳ ἄγεσθαι*, et 18 *πρῶτον μὲν οἷα τε ἦν πείθειν αὐτόν*, repudiatis Hirschigi tentaminibus interpretari volebat, ipseque olim apud Plutarchum Poplic. 7 tuli *τὸν ἄνθρωπον οἷός τ᾽ ἦν ἀφεῖναι*, tuleruntque apud Dionem Chrysostomum or. 52 extr. p. 633 Emp. editores *ἀπαιτοῦντος τὰ ὅπλα οὐ κατέχει, ἀλλ᾽ οἷός τε ἐστὶν ἀποδιδόναι αὐτά*, quibus non nulli loci Polybiani addi possunt collecti a Schweighaeusero in indice: obstat tamen praeceptum Harpocrationis *Οἷος εἶ καὶ Οἷός τε εἶ, τὸ μὲν χωρὶς τοῦ τε σημαίνει τὸ βούλει καὶ προῄρησαι, τὸ δὲ σὺν τῷ τε δύνασαι* optimorum scriptorum usu comprobatum. de Dionysio quidem res in incerto relinquenda, qui raro ea formula usus sit: mihi quidem duo tantum loci in promptu sunt, quorum alteri deest particula, 8, 16 *τὰ δὲ συμμαχικὰ οὐχ ἅπαντα ὑπήκουε προθύμως, ἑκούσιά τ᾽ οὐκ ἦν οἷα συνάρασθαι τοῦ πολέμου*, in altero adest, 4, 12 *ταῦτα λέγοντος αὐτοῦ καὶ ἀναχωρεῖν οἵου τε ὄντος ἀπὸ τοῦ βήματος*, inprobaturo Cobeto aliisque quos indicavit Carolus Scheibius noster praef. in Isaei or. p. XLIV.

Plurimum negoti mihi facessivit locus libr. 8, 81 *μετὰ γὰρ τὸν τοῦ Κασσίου θάνατον οἱ μὲν αὐξάνοντες τὴν ἀριστοκρατίαν θρασύτεροί τε καὶ ὑπεροπτικώτεροι τῶν δημοτικῶν ἐγεγόνεσαν, οἱ δέ, ἀφανεῖ τε δόξῃ φερόμενοι καὶ βίῳ, εἰς ταπεινὰ συνεστάλησαν*: idem Reiskio accidit se locum neque intelligere neque expedire fatenti multaque molienti quae cognoscantur apud ipsum. mihi haec ratio succurrit. etenim cum in Urbinate scriptum sit *οἱ δ᾽ ἐν ἀφανεῖ τε δόξῃ φερόμενοι καὶ βίου*, habeatque *βίου* quidem etiam Chisianus, Dionysium sic scripsisse suspicor: *οἱ δ᾽ ἐν ἀφανεῖ τῇ δόξῃ φερόμενοι καὶ βίου εἰς ταπεινὰ συνεστάλησαν*: *ἐν ἀφανεῖ τῇ δόξῃ φέρεσθαι* dicitur plebs agitata spe

et exspectatione cuius nulla veritas adpareat, vana, id ut ad agri divisionem spectet qua quinto ante anno a senatu decreta per dolum ac ranas patrum pollicitationes fraudati fuerant, quem ad modum infra c. 91 plebs dicitur *πιστεῦσαι κενῇ ἐλπίδι*. hoc quam vere excogitatum sit iudicent alii, alterum pro certo licet adfirmari *βίον* verum esse, ut *βίον εἰς ταπεινὰ συνεστάλησαν* dicantur plebeii ad inopiam rei familiaris et victus redacti, quo pertinent quae proxime secuntur *τούτου δ᾽ αἴτιον ἦν* —.

Tertii cuiusdam loci emendationem solus praeit Urbinas c. 89: *ἐν αὐτῇ δὲ τῇ Ῥώμῃ πολλὰ δαιμόνια σημεῖα ἐφαίνετο δηλωτικὰ θείου χόλου κατά τε φωνὰς καὶ ὄψεις ἀήθεις, πάντα δ᾽ εἰς τοῦτο συνέτεινεν, ὡς οἵ τε μάντεις καὶ οἱ τῶν ἱερῶν ἐξηγηταὶ συνενέγκαντες τὰς ἐμπειρίας ἀπεφαίνοντο, θεῶν χολοῦσθαί τινας, οἳ οὐ κομίζονται τὰς νομίμους τιμάς, οὐ καθαρῶς οὐδὲ ὁσίως ἐπιτελουμένων αὐτοῖς τῶν ἱερῶν*. Chisiani notatur lectio haec: *θεῶν χολοῦσθαί τινα οἳ κομίζονται*, quam licet ineptam secutus est Lapus. quid Urbinas? *ἀπεφαίνοντο θεῶν τινες οὐ κομίζονται τὰς νομίμους τιμάς*, quae scriptura eo magis suspicienda est, quo clarius ea cognita adparet vulgatae lectionis imbecillitas. nam cum modo dictum esset prodigia adparuisse iram divinam significantia profecto non opus erat vatum opera ad id ipsum quod omnes intellegebant aperiendum, irasci deorum aliquos. immo causa irae divinae exploranda erat de eaque consulti vates declarabant hanc esse, quod deorum quidam legitimis honoribus fraudarentur cum nec pure nec pie sacra eis fierent. id dicentem facimus Dionysium scribendo *ἀπεφαίνοντο ὅτι θεῶν τινες οὐ κομίζονται τὰς νομίμους τιμάς*. nihil novavi nisi quod *ὅτι* addidi post *ἀπεφαίνοντο*, quod sponte adparet quam facile excidere potuerit, quo facto locus in eam speciem, quam vulgata prae se fert, interpolatus est.

Item genuinae scripturae interpolationem codicibus antiquissimis ducibus deprehendisse mihi videor 9, 3 *Καίσων δὲ Φάβιος ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων οὐδενὸς χεῖρον στρατηγήσας ἀφῃρέθη τὸν ἐκ τῶν ἔργων ἔπαινον παρ᾽ οὐδὲν ἁμάρτημα ἴδιον, ἀλλ᾽ ὅτι τὸ δημοτικὸν οὐκ εἶχεν εὐμενὲς ἐξ οὗ τὸν ὕπατον Κάσσιον ἐπὶ τῇ τυραννίδι κρίνας ἀπέκτεινεν*: nihil in sententia inest quod quemquam offendat. nam de plebis in Fabium odio ob supplicium de Cassio sumptum satis constat, cf. c. 4 *τὸ ἐκ τοῦ δήμου μῖσος*, c. 51 *ἀποθεραπεῦσαι τοῦ δήμου τὴν ὀργὴν βουλόμενος, ἣν εἶχε πρὸς αὐτὸν ἐπὶ τῷ Σπορίου Κασσίου θανάτῳ*: sed qui in Urbinate et Chisiano exaratum viderit *ὅτι τὸ δημοτικὸν οὐκ εἶχε μένον* memineritque quanta illis libris fides debeatur, non indignam habebit eam scripturam quam diligenter perpendat. id qui fecerit mirabor ni mihi concesserit in corruptis illis *οὐκ εἰχεμενον* latere veram scripturam hanc *οὐκ εἰχενευνουν* hoc est *οὐκ εἶχεν εὔνουν*, quod quidem vel eo nomine commendari licet, quod *εὐνοίᾳ* potius quam *εὐμενείᾳ* hic locus est. nam etsi fatendum est non ubique observatum esse praeceptum Thomae M. *εὔνοια καὶ ἀπὸ τοῦ ἐλάττονος πρὸς μείζονα καὶ ἀπὸ τοῦ μείζονος πρὸς ἐλάττονα, εὐμέ-*

νεια δὲ ἀεὶ ἀπὸ τοῦ μείζονος πρὸς ἐλάττονα, cui ipse adiecerit: *εὔρηται δὲ καὶ τὸ ἐναντίον*, Dionysium tamen in eiusmodi causa memini *τὸ εὔνουν καὶ πρόθυμον τοῦ δήμου* dicere, quem ad modum 11, 7 dixit *τοῖς προεστηκόσι τῶν κοινῶν οὔτε ὁ δῆμος εὔνους ἐστὶν οὔτε οἱ πατρίκιοι*. ceterum *τῇ* ante *τυραννίδι* iniuria deletum esse ab Reiskio adparet ex 8, 87. 9, 1 et 52.

In bello Veientano cum milites Romani seditiosos se et contumaces adversus duces gererent, consules quo eos ad modestiam et obsequium revocarent exercitum in castris cohibuerunt, id effecturi ut milites hostium contumeliam ignaviam eis exprobrantium non ferentes ipsi ad praetorium venirent ac se contra hostes duci postularent. id cum evenisset Fabius consul supplicantibus respondet, si omissis dissidiis universi praeteritam ignominiam praesenti virtute abolere velint, nihil obstare quo minus cum hostibus congrediantur. conclamatum est ab omnibus eum bono esse animo iubentibus et ad proelium se duci postulantibus, unusque eorum *στὰς ὅθεν πᾶσιν ἔμελλεν ἔσεσθαι φανερός, ἐπὶ τούτοις ἔφησεν· ὦ ὕπατοι, δεδοίκατε μὴ τὰ ἔργα ἡμῶν οὐχ ὅμοια γένηται τοῖς λόγοις; ἐγὼ πρῶτος ὑμῖν ὑπὲρ ἐμαυτοῦ τὸ βέβαιον τῆς ὑποσχέσεως ἐκ τῆς μεγίστης πίστεως παρέξομαι*, libr. 9, 10. hiulca haec est ac minime Dionysiaca oratio. libri discrepant sic, ut in Urbinate sit *ἐπὶ τούτῳ ἔφησεν*, quod secutus esse Lapus videtur ('postea sic dixit'), Chisianus habeat *ἐπὶ τοῦτο*. eo sic utendum est, ut scribatur *στὰς ὅθεν πᾶσιν ἔμελλεν ἔσεσθαι φανερός, 'ἔπει τοῦτο' ἔφησεν 'ὦ ὕπατοι, δεδοίκατε —'*.

Fama a non nullis tradita CCCVI Fabiis caesis ex tota gente unicum puerum relictum esse cur sibi prorsus incredibilis videretur postquam Dionysius 9, 22 pluribus exposuit pergit *ταύτῃ μὲν δὴ τὸν λόγον ἐξετάζων οὐκ ἀληθῆ νενόμικα, ἐκεῖνον δ' ἀληθῆ, τῶν τριῶν ἀδελφῶν Καίσωνός τε καὶ Μάρκου καὶ Κοΐντου, τῶν ὑπατευσάντων τὰς συνεχεῖς ἑπτὰ ὑπατείας, ἐγκαταλειφθῆναι πείθομαι Μάρκῳ παιδίον· καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ λεγόμενον ἐκ τοῦ Φαβίων οἴκου λοιπόν, οὐδὲν κωλύει. τὸ δὲ μηκέτε τῶν ἄλλων ἐπιφανῆ τινα καὶ λαμπρὸν ἔξω τοῦ ἑνὸς τοῦδε ἀνδρωθέντος γενέσθαι, ταύτην παραστῆσαι τοῖς πολλοῖς τὴν δόξαν, ὅτι μόνος ἐκεῖνος ἐκ τοῦ Φαβίων γένους ἐστὶ λοιπός*: viti in his verbis suspitionem cum sententia movet, parum illa commoda — parum enim commode praegressum *πείθομαι*, quod de certa persuasione intellegendum est, excipiunt verba *οὐδὲν κωλύει* — tum librorum aliqua discrepantia. etenim ante Reiskium pro *τὸ δὲ μηκέτι* legebatur *τοῦ δὲ μηκέτι*, cui Reiskius praetulit ex Urbinate *τὸ μηκέτι*, quod sic accommodavit structurae, ut pro *παραστῆναι* scriberet *παραστῆσαι*. sed cum in Urbinate non *τὸ δὲ μηκέτι* exstet, sed *τὸ μηκέτι*, Chisianus autem habeat *τῷ μηκέτι*, hoc usi facillima mutatione commodam et unice aptam loco sententiam restituimus sic: *τῶν τριῶν ἀδελφῶν — — ἐγκαταλειφθῆναι πείθομαι Μάρκῳ παιδίον καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ λεγόμενον ἐκ τοῦ Φαβίων οἴκου τὸ λοιπόν. Οὐδὲν δὲ κωλύει τῷ μηκέτι τῶν ἄλλων ἐπι-*

4*

φανῆ τινα καὶ λαμπρὸν ἔξω τοῦ ἑνὸς τοῦδε ἀνδρωθέντος γενέσθαι ταύτην παραστῆναι τοῖς πολλοῖς τὴν δόξαν, ὅτι μόνος ἐκεῖνος ἐκ τοῦ Φαβίων γένους ἐστὶ λοιπός. nihil in librorum scriptura mutavi, nisi quod *δὲ* addidi post *οὐδέν.*

Gravioris viti indicium tenuis in speciem et exilis scripturae varietas, quam qui obiter inspiciat vix adtendat, facit 9, 24 *τότε δὴ ἐν τῷ ἀσφαλεῖ Ῥωμαῖοι νομίσαντες εἶναι καὶ τὴν ἐν τῇ πόλει νεότητα καθοπλίσαντες ἐξῆλθον εἰς τὴν ὕπαιθρον. ὡς δὲ τήν τε πρώτην μάχην ἀπὸ σταδίων ὀκτὼ τῆς πόλεως ποιησάμενοι παρὰ τὸ τῆς Ἐλπίδος ἱερὸν ἐνίκησάν τε καὶ ἀπεώσαντο τοὺς ἀντιταξαμένους, καὶ μετὰ ταύτην αὖθις ἑτέραν, πλείονι δυνάμει τῶν Τυρρηνῶν ἐπελθόντων, παρὰ ταῖς Κολλίναις καλουμέναις πύλαις ποιησάμενοι, λαμπρῶς ἠγωνίσαντο· καὶ ἀνέπνευσαν ἐκ τοῦ δέους καὶ τὸ ἔτος τοῦτο ἐτελεύτα:* hic igitur quod ex Urbinate Chisianoque enotatum est *ἑτέρα* pro *ἑτέραν* tantum abest ut neglegendum sit, ut gratulandum sit Dionysio quod ea cognita ratio monstretur qua maculam eluamus indignissimam eius dicendi genere. cui qui adsuetus sit fatebitur vix ac ne vix quidem posse repetitum illud sine ulla idonea causa *ποιησάμενοι* scriptori tribui. immo postquam vera scriptura, quae est *ἑτέρᾳ*, abiit in *ἑτέραν*, decipiente *πόλεως* et *πυλῶν* vocabulorum similitudine temere in verba scriptoris invectum putamus, quae sic ab ipso scripta fuerint: *ὡς δὲ τήν τε πρώτην μάχην ἀπὸ σταδίων ὀκτὼ τῆς πόλεως ποιησάμενοι παρὰ τὸ τῆς Ἐλπίδος ἱερὸν ἐνίκησάν τε καὶ ἀπεώσαντο τοὺς ἀντιταξαμένους, καὶ μετὰ ταύτην αὖθις ἑτέρᾳ, πλείονι δυνάμει τῶν Τυρρηνῶν ἐπελθόντων, παρὰ ταῖς Κολλίναις καλουμέναις πύλαις λαμπρῶς ἠγωνίσαντο, ἀνέπνευσαν ἐκ τοῦ δέους· καὶ τὸ ἔτος τοῦτο ἐτελεύτα:* quod vulgata ante *ἀνέπνευσαν* habet *καὶ* iam Sylburgio suspectum nec expressum a Lapo additum est cum vera scriptura interpolata esset. sed hic quidem ut participium abiciendum esse puto, ita tuendum arbitror altero loco c. 41 (*οἱ πατρίκιοι*) *καθ' ἑταιρείας καὶ κατὰ συστροφὰς ἅμα τοῖς ἑαυτῶν πελάταις οὐκ ὀλίγοις οὖσι πολλὰ μέρη τῆς ἀγορᾶς κατεῖχον, ἐπικελεύοντές τε τοῖς κατηγοροῦσι τοῦ νόμου καὶ θορυβοῦντες τοὺς ἀπολογουμένους καὶ ἄλλα πολλὰ πράττοντες, ἀκοσμίας τε καὶ βίας τῆς ἐν ταῖς ψήφοις μηνύματα:* loquitur de concione a P. Volero, tribuno plebis, convocata ad legem de comitiis tributis promulgandam, quam legem consules et senatus omnesque patricii inpedire conati sint. hic quod codices cum deteriores tum ipse antiquissimus Chisianus scriptum habent *τῆς ἐν ταῖς ψήφοις ἐχομένης* non puto nihili faciendum esse, quamvis Urbinas *ἐχομένης* non agnoscat, cuius ortum tam artificiose rimatur Reiskius, ut nemini sit persuasurus. rectius iudicavit Sylburgius, cui cum Gelenius interpretatus esset 'multa faciendo quae confusionis et violentiae in suffragiis futurae indicia erant' verior lectio esse videbatur *ἐσομένης.* idem mihi in mentem venerat, sed ut nunc praeferam *ἀρχομένης*, id ut de indiciis inmodestiae et violentiae in suffragiis ferendis ab hoc initio profectae intellegatur.

Alius generis additamentum commendaverim 9, 55 ubi de L. Valerio castra Aequorum oppugnare adgresso, sed divinitus prohibito leguntur haec: *ἤδη ἔργου ἐχομένῳ ζόφος ἐξ οὐρανοῦ γίνεται καὶ ὄμβρος πολὺς καὶ ἀστραπαί τε καὶ βρονταὶ σκληραί, διασκεδασθείσης δὲ τῆς στρατιᾶς ὅ τε χειμὼν εὐθὺς ἐπαύσατο καὶ πολλὴ κατέσχε τὸν τόπον αἰθρία. τοῦτο δὴ τὸ ἔργον ὀττευσάμενος ὁ ὕπατος καὶ τῶν μάντεων κωλυόντων πολιορκεῖν τὸ χωρίον, ἀποτραπεὶς τὴν γῆν αὐτῶν ἐκάκου*: Urbinas *κωλυόντων ὅτι πολιορκεῖν*: hoc correctum in *ἔτι* egregie aptum loci sententiae est.

Denique his accedat locus quem postquam diu multumque me exercuit nunc probabiliter secundum codicum vestigia videor restituere posse. libr. 8, 40 multus est Dionysius in enarrandis precibus matronarum Romanarum, quae duce Valeria una cum liberis suis ad Veturiam, Marci Coriolani matrem, accesserant commoturae eam, ut cum ipsis liberisque ipsorum ad Marcium profectae filium obsecraret pace cum suis civibus facta in patriam redire. Valeriae igitur haec verba sunt: *παραλαβοῦσα μετὰ σεαυτῆς Οὐολουμνίαν τε τὴν ἀγαθὴν γυναῖκα καὶ τοὺς παῖδας αὐτῆς καὶ τὰς ἱκέτιδας ἡμᾶς φερούσας τὰ νήπια καὶ ταυτασὶ τὰς γενεάς, ἴθι πρὸς τὸν υἱὸν καὶ πεῖθε καὶ λιπάρει* — vitiosa haec esse non fugit, uti par erat, Reiskium, etsi nihil proficimus ex eis, quae ad verba *καὶ ταυτασὶ τὰς γενεάς* adnotavit: ‘haec quid sibi velint haud intelligo. idem si sunt cum *τὰ νήπια*, cur posuit? diversum si quid significant, haud exputo, quid id sit. num Marcii liberos?’ mihi cum nihil audendo nihil proficiatur Urbinatis et Chisiani scripturam reputanti *φερούσας τὰ νήπια καὶ ταυτὶ τὰς γενναίας ἴθι πρὸς τὸν υἱόν* Dionysius scripsisse videtur (*παραλαβοῦσα ἡμᾶς*) *φερούσας τὰ νήπια ταυτί, ἴθι, ὦ γενναία, ἴθι πρὸς τὸν υἱόν*: ea demum commoda et Dionysio, si recte eum novi, digna sententia est.

Scr. Servestae Anhaltinorum m. Maio a MDCCCXIV.

